Q.K. 468, 29.
X 187 6781
T, 423
II i
782

CHRISTOPHORI CELLARII COLLECTANEA HISTORIAE SAMARITANAE

QVIBVS

PRAETER RES GEOGRAPHICAS, TAM POLITIA HVIVS GENTIS, QVAM RELIGIO ET RES LITTERARIA EXPLICANTVR.

CIZAE
SVMTV IO. BIELCKII, BIBLIOP. IEN.
TYPIS FRIDEM. HETSTEDII.
M DC LXXXVIII.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-5366-p0002-9

ILLVSTRI VIRO

IOBO LVDOLFO

S. CAES. MAIEST. ET SERE-NISSIMOR. DVCVM SAXO-NIAE CONSILIARIO

S. P. D.

CHRISTOPHORVS CELLARIVS.

SIngularis illa beneuolentia tua, vir conſummatiſſime, qua ſuperiori anno, cum Cizam tranſires, me complexus es, eandemque crebris

postea litteris mihi absens confirmasti; insigni adhortamento fuit, vt ne alii, quam maximo nomini tuo, collectanea hæc Samariticæ historiæ consecrarem. Tam suaue enim & humanitatis plenissimum alloquium, tam omni doctrina refertas epistolas tuas sine publica laudatione dimittere, nefas mihi & alienum ab animo meo, in gratam bene factorum memoriam semper propendente, videbatur. Accessit aliud meritum tuum, idque ingens & vere publicum, quo facile princeps illorum haberis, qui in Europa Orientis litteraturam non vt multi, excoluerunt, vt ad Te tanquam iudicem & censorem referri soleant, quæ in hoc genere litterarum ad communem eruditorum vsum conferuntur. Cum primum Horas meas Samaritanas vulgarem, constitueram quidem eiusdem

gentis,

gentis, quanta conquiri posset, historiolam componere, nec pauca cœpi in vsum illius adnotare: tot autem subinde hiatus reperiebam, tot tenebris res immersas Samaritarum videbam, vt in aliud semper tempus reiicerem, quæ huius meditationis erant, cum præsertim non deessent studiorum genera, quæ ab hoc instituto ad se alliciebant. Posteaquam vero, quod omnes Tibi gratulantur, inter Germanos primus consecutus es, vt litteras ad Te Sichemitæ ex Palæstina darent, Tuque pro summa beneuolentia tua mecum illas communicabas; illico ad vetus institutum reuerti, & ex scriniis meis requisiui, quæ olim in hanc rem subseciuis horis congesseram. Doleo vero, Samariticas exercitationes meas in eiusmodi tempus incidisse, quo variis curis ita distractus animus erat, vt nulli

minus tum rei vacaret, quam litterarum elegantiori culturæ, & ad eam formam & nitorem elaborandæ, quæ tuum tuoque ſimilia vel mediocriter ferre iudicia poſſit. Quidquid enim vides collectaneorum, incertus rerum mearum, & nimium feſtinabundus, cum vrgerent fata, ita diſpoſui, vt minime hiſtoriam appellari velim, ſed collectanea & materiam hiſtoriæ Samaritanæ. Adiiciant alii, quibus plus otii eſt, quæ a nobis ſunt prætermiſſa: in formam quoque & ordinem hiſtoriarum componant, hiatus ſuppleant, ſi qua inueniri poſſunt, quæ temporum ſeriem in rebus huius populi continuent. Ego quæ partim olim obſeruaueram, partim inter ſpiſſas nunc curas reperiebam, ſine curioſo delectu ordinis, vt in mentem quæque venerunt, conſignaui litteris, potius

vt

vt aliis auctor essem & plura & meliora de hac gente inquirendi, quam vt meam hanc operam Samaritarum cuncta complecti crederem. Ne vero nimis varia turbate commiscerentur; in quatuor classes distribui, quæ inueneram, vt primum res Geographicas explicarem: deinde quæ ad politiam gentis, tum quæ ad religionem eius & sacrorum cultum; tandem quæ ad litterariam rem Samaritanorum pertinebant. Hæc qualiacunque sunt, illustri nomini tuo, vir summe & magnifice, dedicaui, vt monumentum essent obseruantiæ erga Te meæ, tum tuæ in me beneuolentiæ, perpetuo mihi conseruandæ, nouum quoddam incitamentum, quod rogo, ex animo & affectu offerentis, non ex ipsa rei forma, rudi sane illa & impolita, pro benignitate tua interpreteris.

Vale,

Vale, vir celeberrime, & in rei litte-
rariæ incrementum ornamentumque
feliciter age. Scripsi properanter Cizæ,
petasatus & ad iter accinctus, quod die
crastini in aliam prouinciam, fatis mihi
decretam susceptturus sum. A. D. VI
Non. Mai. CIↃ IↃC LXXXVIII.

COL-

COLLECTANEA HISTORIAE SAMARITANAE.

CAPVT I

DE GEOGRAPHIA SAMARITIDIS.

SAMARIA & regionis nomen eſt, & vrbis in regione illa olim primariæ. Regionem ita deſcribit Ioſephus lib. III Bell. Iud. cap. IIII ἡ Σαμαρεῖτις χώρα μέση μὲν τῆς Ἰουδαίας ὄρεσι καὶ τῆς Γαλιλαίας, *Samarienſis regio inter Iudæam & Galilæam media eſt.* Vrbis, quæ regioni nomen dedit, cum ſitum, tum originem, tum etiam adpellationem ſacer codex tradit I Reg. XVI. 24, nempe ab Omri, decem tribuum rege, monti *Schomron* fuiſſe impoſitam, eodemque nomine inſignitam על שמר שמר ארני ההר שמרון *de nomine Schemer, poſſeſſore montis Schomron*, a quo rex montem emtionis iure acceperat. Inde Samaria Ebræis שֹׁמְרוֹן, Syris ܫܡܪܘܢ adpellata eſt, Græcis demum Σαμάρεια. Ioſephus VIII Antiquit. cap. VII ἐν Σαμαρῶνι (ſic recte Druſius ad Voces N. T. comment. priore p. 153 emendat ſcriptum Μαρεῶνι) τοῦτο δὲ Ἑλλήνων Σαμαρεία καλουμένη, *in Samarone, quæ a Græcis dicitur Samaria.*

II. Hieronymus in Amos cap. IIII Samariam *cuſtodiam* interpretatur, & in Epitaphio Paullæ cap. VI Samaritam *cuſtodem*, quod videtur ex Euſebii Chronico habuiſſe, ab ipſo num. MCCLXX ita Latine verſo: *Rex Chaldæorum ad cuſtodiendam regionem Iudæam accolas miſit Aſſyrios, qui æmulatores legis Iudææ facti* SAMARITAE *nuncupati ſunt, quod Latina lingua exprimitur* CVSTODES, quanquam Scaliger Animadverſ. in h. l. putet Hieronymum de ſuo addidiſſe: *quod Latina lingua exprimitur Cuſtodes*, quia alias quoque tali etymologia delectetur Hieronymus. Verum quoquo modo ſe

res de Euſebio habet, alii certè tam Græci, quam Latini idem cenſuerunt. Epiphanius aduerſus Hæreſes lib. I Hæreſi IX pag. 24. ἑρμηνέυονϛαι Σαμαρεῖται Φύλακες ἀϕ' ὃ ἐν τάξει Φυλάκων τετάχθαι ἐν τῇ γῇ, *Vox Samaritæ Cuſtodes ſignificat, quod ii quondam in illa terra tanquam cuſtodes collocati ſunt*: & Sulpic. Seuerus Hiſt. Sacr. lib. I cap. XLIX *Salmanaſſar*, inquit, *populum vniuerſum in regnum ſuum abduxit, Aſſyriis in hoſtili ſolo ad cuſtodiam poſitis. Exinde ea pars Samaria adpellata, quod lingua Aſſyriorum cuſtodes Samaritas vocant.* Concedo, nouos iſtos colonos a Caſpio mari in Palæſtinam miſſos fuiſſe, *vt regionem*, in poteſtatem Aſſyriorum redactam, *cuſtodirent*: nomen autem ab *cuſtodia* vel ipſos vel regionem accepiſſe pernego, cum ex antea dictis liquidiſſime conſtet, iam tum florente republica Iſraëlitarum hoc nominis obtinuiſſe. Præterea falſus in eo eſt Sulpicius, dum Aſſyriorum lingua Samaritas *cuſtodes* ſonare exiſtimat, quia Aſſyrii & Chaldæi ne quidem vocem שמר, quæ Ebræis *cuſtodire* eſt, in ſuam adſumſerunt linguam, ſed pro illa ܛܪܨ, vti etiam Syri, conſtanter adhibuerunt.

III. Hodierni Samaritani, vti ex Epiſtolis ad ſummum virum IOBVM LVDOLFVM manifeſtum eſt, defugiunt noſtram etymologiam a *Schomron* & *Schemer* petitam, adluduntque ad *cuſtodiam & obſeruationem Legis* ſuo nomine. Ita enim Epiſt. I pag. 2. ܐܚܢ ܠܐ ܝܕܥܢ ܡܢܘ ܗܘ ܫܡܗ ܕܫܡܪ̈ܝܢ *neſcimus, quid ſit nomen Schomron.* Seipſos autem & nomen ſuum ita explicant ܐܚܢ ܫܪܪ̈ܝ ܕܐܝܬ ܠܢ ܫܡ ܫܡܪ̈ܝ ܘܫܡܪ̈ܝ ܗܘ ܫܡ ܕܐܝܬ ܠܢ ܡܢ ܫܡ ܐܒܗ̈ܝ ܕܫܪܝ̈ܪ̈ܐ ܘܩ̈ܕܝ̈ܫ̈ܐ ܘܫܡ̈ܪ̈ܝ ܢܡ̈ܘܣ̈ܐ ܕܐܠܗܐ ܩ̈ܕܝ̈ܫ̈ܐ *Sumus filii Iſrael Samaræi, populus ſanctus, puri atque ſancti, obſeruatores Legis ſanctæ.* Non noua hæc interpretatio, ſed Epiphanio etiam cognita, qui citatis antea verbis ſubiecit: ἢ ἀπὸ τοῦ Φύλακας αὐτὸς εἶναι τῆς κατὰ τὸν νόμον Μωϋσέως Διατάξεως, *ſiue quod quæ a Moſe conſtituta in Lege ſunt, cuſtodirent*, dicti Samaritani. Et Euſebius etiam verbis ſupra citatis non obſcure idem videtur ſignificaſſe, *æmulatores legis Indææ facti, Samaritæ nuncupati*, quanquam præmiſerat etiam *ad cuſtodiendam regionem.* Verum neque hæc, neque iſta ratio nominis valet, cuius genuinam originem ſupra indicauimus, quam cur hodierni Samaritæ vel occultent, vel negent, in Capite II exponemus.

IV. Sunt

IV. Sunt qui ante Omri tempora vel oppidum vel caſtrum in illo monte fuiſſe ideo credant, quod ante huius hiſtoriam 1 Reg. XIII. 32 *Samaria* memoratur, niſi id nomen per προλήψιν forſan anticipatum fuit. Illorum ſententiæ accedit R. Leui Ben Gerſom in c. I. היה שם עיר שמה שמרון קדם זה , לך עתה נבלה עמרי *Fuit* inquit, *ibidem ante hæc vrbs nomine Schomron; Verum nunc* [ſplendidius] *exædificauit eam Omri.*

V. Ab Omri temporibus ad vſque exſilium Iſraelitarum fuit Samaria caput regni & ſedes regum Iſraeliticorum, vrbs magnifica, natura & arte munitiſſima, vt Salmanaſſar, qui Samaritanos in Aſſyriam deportauit, poſt triennem obſidionem vix eam expugnauerit. Euerſam tum fuiſſe vrbem & funditus deletam, vero ſimillimum eſt propter diuturnitatem obſidionis, & grauiorem pœnam captiuis ciuibus illatam. Sulp. Seuerus lib. 1 cap. XLIX addit *vrbemque excidit*, quod Animaduerſione Io. Vorſtii notatur, quia ſacer codex nihil de euerſione prodiderit. R. Dauid Kimchi autem in Commentario II Regum XVII. 24. conatur ex eo fidem facere, quod rex Aſſyriæ dicatur nouos colonos collocaſſe בערי שמרון *in oppidis Samariæ*, כי שמרון החריבה מלך לשור עד היסוד *quia Samariam diruerat funditus rex Aſſyriæ.* Sed quid opus eſt Iudaicis coniecturis? Sanctus vates Micheas, qui falli non potuit, prædixit cap. 1 commate VI, ita euerſum iri Samariam, vt יְסוֹדֶיהָ *fundamenta eius* detegantur, lapidibus ex monte in vallem proiectis, quod de alia expugnatione intelligi non poteſt, quam quæ facta fuit, vt Aben Eſra adnotauit, על ידי לשור *per Aſſyrios.*

VI. Euerſam vrbem Cuthæos colonos inſtauraſſe dubitari non poteſt, quod ſequentis ætatis hiſtoriæ Samariam non inter cadauera vrbium, ſed in præcipuis ac primi ordinis numerauerunt, adeo vt huius inſtauratio vniuerſis colonis *Samaritanorum* nomen a primaria, quam colebant, vrbe attulerit. Floruit ergo rurſus, quamdiu ſtetit Garizitanum templum, cum quo iterum in cineres & ruinas redactum fuit. Ioannes enim Hyrcanus, qui Iudæorum rebus Antiochi Cyziceni temporibus præfuit, Samariam, etiam tunc πόλιν ὀχυρωτάτην, *vrbem munitiſſimam*, vt Ioſephus vocat lib. XIII Antiquitat. Iudaic. cap. XVIII, ἐνιαυτῷ πολιορκήσας *integro anno obſeſſam* cepit tandem, nec expugnatione contentus, etiam πᾶσαν αὐτὴν ἠφάνισεν,

ἔπιλυσον τοῖς χειμάρροις ποιήσας. Διασκάψας γὰρ αὐτὴν ὥστε εἰς χαράδρας μεταπεσεῖν τὸ σημεῖα ἔ γενέσθ ποτὲ πόλιν αὐτὴν ἀφείλατο, id est Gelenio interprete, *solo eam æquauit ductis illo torrentibus, quorum eluuie ita cuncta foedata sunt, vt ne vestigium quidem supereſſet eius oppidi.*

VII. Ex hoc tetro squalore multo post tempore adseruit hanc vrbem Gabinius Syriæ præfectus, Scauri primi præsidis successor, de quo Iosephus Antiquit. XIIII cap. X καθηρημένας τῶν πόλεων κτίζειν παρεκελεύετο, καὶ ἀνεκτίσθησαν Σαμάρεια, καὶ Ἄζωτος, καὶ Σκυθόπολις, *dirutas*, inquit, *vrbes ædificari iubebat, & hoc pacto instauratæ sunt Samaria, Azotus, & Scythopolis:* & Bell. Iud. I. cap. VI συνεπολίσθησαν τότε κελεύσαντος Σκυθόπολίς τε καὶ Σαμάρεια, *huius* [Gabinii] *iussu Scythopolis & Samaria restauratæ sunt*, seu in vrbium modum exædificatæ. Nam etiam ante aduentum Romanorum habitari cœpisse, vt pagos forsan aut vicos, sine ornatu & splendore, exinde adparet, quod cap. V eiusdem libri Iosephus de Pompeio tradit, mediterraneas ciuitates a Iudæorum imperio liberasse, ἔσας μὴ φθάσαντες κατέσκαψαν, Ἵππον, Σκυθόπολιν, καὶ Πέλλαν, καὶ Σαμάρειαν, *quas præuenti non exciderant.*

VIII. Hinc nomen *Gabinii vrbis* Samariæ est additum. Iulius Africanus apud Eusebium in reliquiis libri prioris Chronicorum: Ἡρώδης ἔκτισας τ Γαβινίων πόλιν τὴν ποτε Σαμάρειαν, Σεβαστῶ αὐτὴν προσηγόρευσεν. Locum hunc corruptum esse testatur Scaliger in Animaduersionibus Eusebianis, & in Elencho Trihæresii Nicolai Serarii cap. II idem existimat legendum esse Γαναίων, ex גנאי *turpis, obscenus*, pro quibus Iudæi Samaritas habuerint. Sed non possumus ire in sententiam illustris viri, cum, quod etiam Samuel Petitus lib. II Var. Lect. cap. V censet, longe facilius ex Iosephi historia emendari possit τῶ Γαβινίου πόλιν, quam Γαναίων. Instaurata igitur a Gabinio Samaria Γαβινία πόλις adpellabatur, donec tandem ab Herode τῆς Σεβαστῆς sortita nomen est. Sic enim Cedrenus quoque f. 151, in nomine quamuis reparatoris errans, vt num. X dicemus: τῶ τῶν Γαβινίων πόλιν, τῶ ποτε Σαμάρειαν ἔκτισας, Σεβαστὴν αὐτὴν προσηγόρευσε, vbi eadem medicina opus est, quam Eusebio adhibuimus, ex quo hausit procul dubio Cedrenus.

IX. Ab

IX. Ab Herode enim Antipatri filio, maius ornamentum accepit, qui in honorem Augusti Cæsaris Græco nomine Sebasten, hoc est *Augustam* adpellauit, vt vel solum nomen splendorem eius atque ornatum possit ostendere. Iosephus XV lib. Antiquit. cap. XI extremo: τότε τὴν Σαμάρειαν ὠρεμηδὸν τειχίζειν - - - - τήν τε θεσπηγορίαν ἐπήλατε, Σεβαστὴν καλῶν, *Tunc* [Herodes] *Samariam adgreditur munire, nomen eius mutauit, Sebasten adpellans*, nempe vt Hieronymus Epitaphio Paullæ cap. VI exponit, *in honorem Augusti Græco sermone Augusta est nominata.* Et vere augusta facta fuit. Nam τείχει καρτερῷ τὴν πόλιν περιέβαλε, *firmissimo muro vrbem circumdedit*, καὶ μέγεθος οὐχ ὡς τὸ πρῶτον, ἀλλ' ὥστε μηδὲν δεῖσθαι τῶν ἐλλογιμωτάτων πόλεων θεσπιλαμβάνων. στάδιοι γὰρ ἦσαν κ', *præter veterem ambitum spacii tantum complexus, vt nulli celebrium vrbium cederet. Erat enim* XX *stadiorum circuitus.*

X. Hæc & alia ornamenta Herodes addidit Antipatri filius, & censuræ notam meruit Georgius Cedrenus, qui quidquid est huius operis Herodi filio sive Antipæ attribuit, filium cum patre confundens fol. 151 edit. Basileensis. Non autem dignitatem suam vrbs ita ornata & amplificata tueri potuit, quo minus vicina *Neapolis*, amœnitate nulli secunda, primas partes in Samaritana regione teneret. Sequentium enim temporum historiæ passim *Neapolim* laudant, Sebastes raram admodum mentionem faciunt. v. g. Seueri imperatoris ætate *Neapolitanos Palæstinenses pro Nigro diu in armis fuisse* scribit Spartianus in illius Vita cap. IX. Ammianus loco supra dicto, *Palæstina*, inquit, *ciuitates habet quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim velut ad perpendiculum æmulas: Cæsaream, quam ad honorum Octauiani principis exædificauit Herodes, & Eleutheropolim, & Neapolim, ibidemque Ascalonem, Gazam & Iuliam, quo superiore exstructas.* Sic Zenonis æuo memoratur Neapolis apud Procopium lib. V de Aedific. Iustin. cap. VII Σαμαρεῖται - - - - ἐπεισπηδῶσιν ἐν Νεαπόλει τοῖς Χριστιανοῖς, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὴν πεντηκοστὴν καλουμένην ἑορτὴν ἄγουσι, καὶ οἵπερ τε πολλοὺς Μακρῶνται, *Samaritani irruerunt in Neapolim, & multos ex Christianis, Pentecostes solennitatem in ecclesia agentibus, trucidarunt.* Et in Itinerario

rario Antonini p. 44. ed. Suritæ [fol. 12, ed. Bertii] iter a Bemmari, Syriæ oppido, inter Zeugma & Batnas ſito, *Neapolim*, tanquam ad nobiliorem terminum, exhibetur. Sebaſtes autem nomen obſcurum & ignotum in his hiſtoriis eſt, niſi quod in Synodo Nicena & Hieroſolymitana ſubſcripſit epiſcopus ὁ Σεβαςηνός. Dignitas etiam Neapoleos, quam præ Sebaſte accepit, ex nummo M. Aurelii apud Harduinum apparet, qui ΦΛ. NEA. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. inſcribitur. Ex quo conſtat, metropolim Samariæ fuiſſe, & a Sebaſte in hanc vrbem prærogatiuam translatam fuiſſe. Plinius dum præponit Neapolim Sebaſtæ, videtur iam ſuo æuo hanc prærogatiuam agnoviſſe.

XI. Plurimorum conſenſu hæc Neapolis eſt antiquum שְׁכֶם, *Sichem*, nec eſſe video ex priſcis, qui aliter cenſeat, quam Stephanum Byzantium, vrbium & populorum ſcriptorem, cui Σαμάρεια πόλις Ιδδαίας, ἡ μετονομαθεῖσα Νεάπολις, *Samaria vrbs Iudææ eſt, quæ poſtea Neapolis vocata fuit.* Thomas de Pinedo, Iudæus Luſitanus, Notis in Stephanum p. 583 Mich. Anton. Baudrandum, celebrem geographum, hoc nomine notat, quod additis ad Phil. Ferrarii Lexicon Geographicum p. 155. ſcripſiſſet, *Samaria hodie Naplous dicta.* Qui vero nobis non male ſenſiſſe, quamlibet inconſideratius ſcripſiſſe videtur. Nam alibi pag. 191 mentem ſuam ita commodiſſime explicauit: *Sichem nunc Naplouze dicitur a Gallis, eſtque ex præcipuis totius Terræ Sanctæ etiamnum, & præfecti ſedes. Creuit ex ruiniis Samariæ, & ideo Samaria nunc perſæpe dicitur a recentioribus Naplouze, quæ reuera Samaria noua vocari poteſt.* Id mihi dixiſſe videtur Geographus Pariſinus, Neapolim, ſiue Naplouze, quidem *Sichem* eſſe, ſed quod hæc ex Samariæ ruinis creuiſſet, ab imperitis ipſam *Samariam*, iam dirutam, ita vocari, quemadmodum vulgus *Babylonem* dicit, quæ *Bagdad* eſt, ex Babylonis autem ruderibus, ſed alio loco, enata, vel ſuum nacta incrementum. Stephanus autem iuſtius vapulat, uti etiam Baronius, qui ad annum Chriſti DCXXVIII citans Theophanis verba Latine: *in domo Euſtathii Neapolitani (ita tunc Samaria dicebatur)* de ſuo addidit incluſa. Nam Græcus Theophanes edit. Pariſ. f. 273 habet tantummodo: εἰς τὸν οἶκον Ε Ευσταθίε Νεαπολίτε, nihil de Samaria adiiciens,

XII. Ce-

XII. Ceteri magno consensu Neapolim a Samaria distinguunt, & illam, non hanc veterum Sichem esse ostendunt, quod adeo clarum est, vt Arabs interpres Genes. XXXV. 4. שכם *Sichem* vertere نَابُلُس *Napolosa* haud dubitauerit. Plinius lib. v cap. XIII claro discrimine: *Intus Samariæ oppida, Neapolis, quod antea Mamortha dicebatur: Sebaste in monte, & altiore Gamala.* Ptolemæus quoque lib. v Geograph. cap. XVI Νεάπολιν & Σεβαστὴν distinguit, id est Sichem & Samariam, nec huius nouum nomen *Neapolis* fuit, sed *Sebaste*, vt præter Iosephum & Hieronymum, quos supra laudauimus, etiam Strabo lib. XVI testatur, Σαμάρειαν Ἡρώδης Σεβαστὴν ἐπωνόμασε, *Samariam Herodes Sebasten cognominauit.* Addo suffragium Beniamini Tudelensis pag. 38 Itinerarii: ומשם יום לשכם היא שומרון ועדין כיכר שם קרמון קחקב מלך ישראל והיא היתה עיר גדולה בהר אחד ובה מעיינות ונחלי מים וגנות ופרדסים וכרמים וזיתים ושם יהודים ומשם שני פרסאות לגבעלם, היא שכם, בהר אפרים ושם יהודים, והיא יושבת בעמק בין הר גריזים והר עיבל Constantinns l' Empereur ita Latine vertit: *Vnde die vno Sebasten me contuli, dictam ab antiquis Samariam, hodieque Achabi Israelitarum regis aulæ dignoscuntur vestigia. Vrbs in monte quondam munitissima, fontibus est irrigua, regioque aquarum riuis, hortis, pomariis, vinetis & oliuetis diues est, a nullis tamen Iudæis habitata. Hinc duabus parasangis distat Neapolis, olim dicta Sichem, intra montes Ephraim condita, nec vlli heic Iudæi. In valle iacet inter montem Garizim & montem Ebal.*

XIII. Nemini sic potest dubium esse, quænam sit Neapolis, & quomodo disiuncta a Sebaste siue Samaria, licet de interuallo vtriusque disputare nolimus, quod longius alii, quam Tudelensis, constituunt. De situ gratum nobis est, quod monti Garizim subiectam dicit perinde ac R. Vri in Cippis Ebr. p. 52 שכם העיר עומדת בין הר גריזים ובין הר עיבל *Sichem est vrbs sita inter montem Garizim & montem Ebal.* Quod recentes Samaritani etiam confirmant in epistolis ad Europæos, præsertim nuperrimis ad τὸν πάνυ Ludolfum p. 9 & 16 ‘עיר שכם הקדושה אל מול הר גריזים’ *vrbs Sichem sancta e regione montis Garizim.* Quod etiam ex Iudicum IX. 7 clarissimum est, vbi mons hic tam vicinus vrbi Sichem esse

esse dicitur, vt vel e monte clamantem audire ciues in oppido potuerint. Vt adeo non audiendus sit Eusebius de Locis Ebraicis, quem Hieronymus Latine vertit, montes Garizim & Ebal prope Hierichuntem, non ad Sichemum collocans, quem Epiphanius c. l. fol. 25 imitatur, montem Sichemiticum Garizim σεσυκοφαντημένως, *fraudulenter* a Samaritis ita vocari ratus. Nam, inquit, ἰστέον ὅτι πρὸς τῇ Ιεριχῶ κεῖνται τὰ δύο ὄρη, τό, τε τοῦ Γαριζεὶν, καὶ τὸ τοῦ Γεβὰλ, *sciendum est apud Hierichuntem duos montes sitos esse, Garizim & Ebal.* Quod Iosephus etiam refutat IIII Antiquit. cap. vlt. p. 130 ἀ πόρρω τῆς Σικίμων πόλεως *haud procul Sichemo* montes Garizim & Ebal constituens. Adde Bontrerii commentationem ad Onomast. Eusebii p. 129. De religione & sanctitate montis Garizim, cap. III dicturi sumus.

XIIII. Nunc de nomine Νεαπόλεως, a quo inditum fuerit, disputandum est. Abul-Pharagius in Dynast. VII p. 109 Herodi Antipatri filio tribuit instaurationem & noui nominis originem, وفي ايامه جدد هيرونيس مدينة نابلس *In diebus illius* [Augusti Cæsaris] *instauravit Herodes vrbem Neapolim.* Nihil Iosephus in historia Herodis de hac Neapoli, qui etiam Σίκιμα potius in plurimis locis veteri Græco nomine, quam Neapolim adpellat: neque Strabo eius mentionem fecit, qui vero Sebasten Herodis non illaudatam reliquit. Quid? quod *Flauiæ* cognomen clare ad Flauiæ gentis imperatorem incrementum oppidi refert, siue pater Vespasianus fuit, siue filiorum alter vel Titus vel Domitianus. De cognomine res certa est, & sic Iustinus quoque Martyr, ciuis huius vrbis, Apologetico II ineunte Ιουστῖνος Πείσκου, τοῦ Βακχείου τῶν ἀπὸ Φλαυΐας νέας πόλεως τῆς Συρίας Παλαιστίνης, quæ verba interpres Io. Langus minus commode vertit *Flauiæ, quæ noua ciuitas est Syriæ Palæstinæ.* Reddendum erat, *ex Flauia Neapoli* [quæ vrbs] *Syriæ Palæstinæ est.* Nam vsitatum est Græcis nomen Νεαπόλεως disiungere, nec tamen intelligere aliter, quam si coniunctum fuisset. Nummus Faustinæ iunioris in museo Io. Harduini: ΦΛ. ΝΕΑC. ΠΟΛ. CTP. ΠΑΛΕCTI. hoc est: Φλαυΐας Νέας πόλεως Συρίας Παλαιστίνης. Et Domitiani apud Golzium & Oeconem, ΦΛΑΟΤΙΟ-

ΠΟΛΕΙ-

ΠΟΛΕΙΤΩΝ ΣΑΜΑΡΕΙΩΝ. Nec tamen a Domitiano hoc nomen habuit, sed antea etiam in Titi nummo apud Seguinum legitur, ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ. Non ergo dubitandum est quin eo tempore, quo Vespasianus & filius Titus Iudaico bello in Oriente inclaruerant, cognomen hoc oppido Sichemo accreuerit. Nec tamen coloniam a Flauiis eo deductam adfirmauerim, cum in nummis ante Elagabali tempora colonia haud inscribatur, sed vel ciuibus a Vespasiano concessum hoc nomen, vt Samosatenis aliisque, vel ab iisdem adulandi caussa adsumtum, quæ sententia etiam est clarissimi viri Io. Harduini de Numm. Vrb. p. 431. qui plures huius vrbis nummos exposuit.

XV. Quanquam vero *Neapoleos* nomen inualuerat, vt ab Arabibus quoque نابلس *Napolosa* vocaretur, sicut hodieque a peregrinantibus *Naplouze* dicitur; tamen Samaritani hodierni antiquum nomen שכם *Sichem* in epistolis suis retinent, & Iosephus plerumque Σίκιμα (sicut LXX Seniores Σήκιμα & Σίκιμα) adpellat, raro admodum Neapolim, quamquam post Vespasiani tempora sub Domitiano historias suas conscripserit: nec aliud noui nominis exemplum obseruaui, quam IIII Belli Iud. cap. XXVI f. 890 Διὰ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ παρὰ τὴν Νεάπολιν καλουμένην, Μαβαρθὰ ὄνομα τῶν ἐπιχωρίων, καλουσι, *per Samaritidem ac prater Neapolim, qua dicebatur Mabartha ab indigenis, descendens.* de quo indigenarum nomine post disseremus, quando quidquid est nominis Sichem vel Σικίμων, expediuerimus. Dubitationem adfert euangelistæ adpellatio Σιχὰρ vel Συχὰρ (nam vtroque modo in libris est) Ioannis nempe IV capite, inciso V, quæ quomodo cum שכם *Sichem* conciliari possit, non apud omnes manifestum est. Hieronymus suspectam habet scripturam, in Epitaphio Paullæ c. I. *transiuit*, inquit, [Paulla] *Sichem, non vt plerique errantes legunt, Sichar; qua nunc Neapolis appellatur.* Et in Quæst. in Genes. cap. XLVIII, comma XXII *Sicima iuxta Græcam & Latinam consuetudinem declinata est, alioquin Ebraice Sichem dicitur, vt Ioannes quoque euangelista testatur, sicut vitiose, vt Sichar legatur, error inoleuit: & est nunc Neapolis, vrbs Samaritanorum.* Sed erroris suspicionem consensus omnium librorum tollit, etiam vetustorum interpretum, sicut Syrus

habet هُدْنِ, Arabs سِبْخَارُ, (al. سوخار) vterque *R* in locum *M* cum Græcis acceptans. Aliæ vero cauſſæ ſubeſſe poſſunt mutati elementi, quarum aliquot adducit Io. Lightfoot Hor. Ebr. in Ioann. p. 938, ſcilicet vel ex linguæ vſu litteram mutatam, vt *Nebucadnezar* & *Nebucadrezar*: vel pietatis cauſſa mutationem factam, vt ad Talmudicam vocem סוכרין *ſepulcra* referatur nomen, ſepulcra inquam patriarcharum, quorum poſſeſſione in epiſtolis etiamnum gloriantur Samaritæ pag. 5 & 13 ·ⱷⱷⱷⱭⱯ · ⱷⱭⱭⱮ · ⱬⱰⱷⱷⱷⱭⱯ ·ⱬⱰⱷⱷⱷⱭⱯ ·ⱭⱭⱭⱮ ·ⱬⱰⱷⱷⱷⱭⱯ ·ⱷⱷⱷⱭⱯ *Sunt nobiſcum ſepulcra prophetarum ſanctorum, ſepulcrum patris noſtri Ioſephi* &c. addunt ·ⱷⱭⱭⱯ ·ⱭⱭⱭⱯ *veneramur illa & in honore habemus*: vel denique contemtus cauſſa Iudæi ita primariam Samaritanorum vrbem a שקר *mendacio* & *falſo cultu*, vel a שכר *ebrioſitate* denominarunt, quemadmodum בעל זבוב in βεελζεβούλ mutatum eſt, & viciſſim Hieroſolymam Samaritani recentes ⱷⱭⱭⱯ · ⱭⱷⱷⱯ *domum deſolationis* pro eo vocant, quod Iudæis eſt בית המקדש *domus ſanctuarii*, de quo relegi poſſunt, quæ doctiſſime illuſtris Ludolfus commentatus eſt ad Samaritanas epiſtolas pag. 25. Errat ergo Guilelmus Tyrius, quando lib. VIII de Bello Sacro cap. I diſtincte narrat *Sichar, confabulatricis Domini Samaritanæ patriam:* & interpoſitis vrbibus Bethel & Sebaſtea, quam Samariam fuiſſe oſtendit, tandem *Neapolim* quoque, *quæ olim dicta eſt Sichem*, vt diuerſam a Sichar, adiungit.

XVI. Hactenus de nominibus *Sichem* & *Neapolis*: interceſſit nomen indigenis vſitatum, ſecundum Ioſephum c. l. Μαβαρθά, ſecundum Plinium lib. V cap. XIII *Mamortha*, quod cuius originis ſit & ſignificationis, valde obſcurum eſt. Suſpicatus aliquando fui valere Ioſephi vocem ⱬⱭⱰⱬⱯ·ⱷⱭ *aquam puritatis*, vt ad fontem patriarcharum, quo magnopere gloriati ſunt Samaritani (vide Io. ann. IV comm. VI) reſpiciatur. Is enim extra portam Sichemi erat. Poſtquam vero nummum Marci Aurelii monſtratore Harduino expendi, quo ciuitas noſtra ΦΛ. NEA. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΜΟΡΘΙΑ inſcribitur, deſerui Ioſephi ſcripturam, & Plinianam pro integriore habere

bere cœpi, de qua si secundum litteras diuinare liceret, dicerem esse quasi מי מרום *aqua dominorum*, id est patriarcharum, Iacobi, Iosephi, vt ad eundem Sichemitarum fontem referatur. Sed in nummo simpliciter MOPΘIA, demto *Ma* priore syllaba scripturæ Plinianæ, vocatur, vt ita difficilius sit vim & notionem eius hariolari, nisi cum Harduino credemus, *Ma* Articulum Ebræorum emphaticum traiectis litteris referre: in nummo autem scribi sine Articulo. Quod si est, eandem originem puto seruari posse, quia אדון *dominus* est, & מרתא siue מרי *domina* aut *hera*. An ergo princeps regionis ciuitas & dominatrix significatur? Nihil definio: malo autem alios audire, qui certiora diuinabunt.

XVII. Hæc de præcipuis vrbibus Samaritanorum Sebaste & Neapoli, hoc est Samaria atque Sichem. Ptolemæus Samaritidi addit Θῆνα, *Thena*, ignotam ceteris: Plinius *Gamalam*, aliam forsan a munitissima vrbe Gaulanitidis in Peræa, quam Titus expugnauit, testibus Iosepho lib. IIII de Bello cap. I, & Suetonio cap. IIII. Diuinis scripturis commendatur *Thirza* tanquam regia ante Samariam, & *Iesreel* vt secessus regius. Quod si vetus regnum decem tribuum definire velimus, quidquid in Galilæa & Peræa est, præter instituti nostri rationes recensendum foret: nos vero Samaritidem a Galilæa pariter & Peræa distinguimus auctore Iosepho, & ipsis sacris scriptoribus, qui iter ex Galilæa in Iudæam per mediam Samaritidem deducunt. De ceteris consulantur geographi, & si placet, nostra Geographia Antiqua cap. XX.

XVIII. Sed satis hactenus de oppidis: de incolis nunc siue coloniis, ex Assyria in hanc regionem deductis, agendum erit, quæ quales fuerint, & quarum gentium in regno Assyriaco, operæ precium erit inuestigare. De nullis enim, quam Babyloniis, certo constat: reliquorum nomina sunt in historiis fere ignota & subobscura. *Cuthæi* præterea nominantur II Reg. XVII. 24. & *Aueæi*, *Hamathæi*, *Sepharvini*. Sed bene notauit Hugo Grotius ad hunc locum, ab regione *Cuth* maiorem vel nobiliorem partem fuisse coloniæ, quæ in Samariam & vicina loca deducta fuit. Hinc factum, vt qui ibi viuebant [κατ'] ἐπιχώριαν dicerentur Χουθαῖοι, quemadmo-

dum hodieque Iudæis noſtris Samaritani vocantur כותיים *Cuthæi*. Grotius hæc videtur ex Tisbi R. Eliæ Germani hauſiſſe, cuius hæc verba ſunt p. 43 נקראו כותיים יותר מהשאר שמות העמים הנזכרים בפסוק הזה, לכך נקראו כלם כותיים *dicuntur Cuthæi potius, quam a ceteris nominibus gentium commemoratarum in ſacra ſcriptura, forſan ideo, quod illorum fuerunt plures, vnde vniuerſi Cuthæi adpellantur.* Si itaque hos inueſtigauerimus, non erit, quod de ceteris ſolliciti ſimus nimium.

XIX. Ioſephus Antiq. Iud. lib. IX cap. XIIII vocat ἔθνη ἀπὸ χούθ τόπου τινός· ἔστι γὰρ ἐν Περσίδι ποταμὸς τοῦτ' ἔχων τοὔνομα, *gentes ex loco aliquo Chuth: eſt enim in Perſide fluuius huius nominis*, & lib. X cap. XI τὸ Χαθαίων ἔθνος, οἱ πρότερον ἐνδοτέρω τῆς Περσίδος & τῆς Μηδίας ἦσαν, *Cuthæorum gentem, qui prius in intima Perſide & Media fuerant.* Chronicon Alexandrinum (vulgo Faſti Siculi) ed. Raderi p. 254. οἱ καὶ μετοικισθέντες εἰς Σαμάρειαν Χαθαῖοι ἐκλήθησαν, τοῦ τῆς χώρας ἐπίκλησιν λαβόντες. Διὰ τὸ ἐκ τῆς Χαθὰς ἄνω καλουμένης τῆς χώρας, τότε μεταβῆναι. ἔστι δὲ αὕτη ἡ Χαθὰς χώρα ἐν τῇ Περσίδι, καὶ ποταμὸς τοῦτο ἔχων ὄνομα. hoc eſt: *Qui vero in Samariam deducti ſunt, Cuthæi vocabantur. regionis nomenclaturam ſortiti, quod ex Cuthas, ita vocata regione, translati fuerunt. Eſt vero hæc Cuthas prouincia in Perſide, eiusdemque nominis ibidem fluuius.* Zonaras Tom. I. p. 77 eodem ſenſu: οἱ μετοικισθέντες εἰς Σαμάρειαν, Χαθαῖοι καλούμενοι, ἐκ τοῦ τόπου, ἐν ᾧ κατῴκουν τὸ πρὶν ἐν Περσίδι, *coloniæ in Samariam deductæ, Cuthæi vocantur ex loco Perſicæ, quem antehac coluerant.* Andreæ Maſio Cuthæi ſunt *Coſſæi* Mediæ, quos Plinius Suſianis ab oriente proximos locat. Sane Ptolemæo etiam lib. VI cap. III. Κοσσαῖοι *ſunt*, καθέχοντες τῆς Σουσιανῆς τὰ πρὸς τῇ Ασσυρίᾳ, *qui Suſianæ partes ad Aſſyriam vergentes tenent.* Byzantio Stephano Κοσσέα μέρος Περσίδος, *pars Perſiæ Coſſea* eſt. Addi poteſt Strabo lib. XVI. Prope ab hac ſententia abeſt Petrus Daniel Huetius, vir eminentis ingenii, in Obſervat. ad Origenem p. 13. *Cutha*, inquit, *eadem eſt ac Suſis ſeu Ciſſia, quæ* כוש *in ſacris litteris dicitur. Chaldæi* כותא *adpellant.* Κισσία autem Ptolemæo loco iam dicto & ipſa pars eſt Suſianæ. Eutychius patriarcha Tom. I Annal. Alexandr. pag. 233 vrbes præcipuas nominat,

minat, quorum coloni cum Samaritis permutati fuerint a Salmanaſſare. وبغل عشرة اسباطيني اسرايبل من ارض السامرية الي امد والموصل وبابل *& deportauit decem tribus Iſrael ex terra Samariæ in Amidam, Muſalum & Babylonem.* Ibidem ونغل اهل بابل وامد والموصل واسكنهم في مدايين السامرية *& transportauit incolas Babelis & Amidæ & Muſal, & collocauit in vrbibus Samariticis.* Amida autem Meſopotamiæ, & Muſal ſiue Moſul Aſſyriæ vrbes notiſſimæ ſunt, eædemque primariæ.

XX. Sic plerique Cuthæos noſtros ex Media vel Perſia vel Aſſyria, aut his aliqua vicina prouincia accerſunt, vt mirum ſit, magnum Scaligerum in Colchide illos locauiſſe. Nam ad Propertii lib. I Eleg. I ſcribit de Medeæ patria: *Eſt autem* Κυ῀ρα *vrbs, in quam deportatæ decem tribus a Salmanaſſare Aſſyrio. Vnde Samaritani hactenus a Iudæis* κυ῀ραῖοι *dicti, Cuthæi. Etiam incolas illorum tractuum circumcidi ſcribunt veteres.* Quod ſi conceſſeris, ex eodem loco Samaritanos veniſſe, in quem abducti fuerant Iſraelitæ; plurimi Iudæorum ad neſcio quos Orientis angulos potius, aut Caſpii maris ſinus te deducent, quam in Colchorum regionem. R. Salomo in Eſa. XXVII 13 *pereuntes in terra Aſſur* de abductis Iſraelitis explicat, vnde propter הנהר סבטיון *fluuium Sabbatium* reuerti non poſſint. Clarius Abarbinel in hunc locum: ומנהר כנזכר כאן הוא נהר סמבטיון *fluuius memoratus* (commate XII) *eſt fluuius Sambation, quo in exilium iuerunt decem tribus.* Plura de hoc fabuloſo flumine & Iſraelitis trans illud exulantibus habet Elias Germanus in Tisbi, qui addit, Moſen Gerundenſem interpretari de fluvio נהר *Goſan*, iuxta quem R. Beniamin quoque Iſraelitas locat, & ita deſcribit in Itinerario, vt Mediam & Perſiam, ad latus quod Parthiam reſpicit, adluere oporteat. Vid. commentarius Conſtantini L'Empereur p. 205, qui hoc quoque adiecit, in Orchoth Olam ad Indiam reduci hunc fluuium.

XXI. Hæc ideo recenſui, vt ex Rabbinorum ſententia in quemuis alium locum, quam in Colchidem, deportatas decem tribus

bus ſciamus. Ipſe ſacer codex nihil nos dubitare ſinit. Dicit enim Iſraelem abductum eſſe אַשּׁוּר *in Aſſyriam*, collocatumque ad fluuium גּוֹזָן *Goſan*, וְעָרֵי מָדָי *& in vrbibus Medorum*, II Reg. XVII. 6. Nec Colchorum circumciſio tantæ rei probandæ ſatis eſt, quia Diodorus Siculus lib. I cap. LV ab Ægyptiis potius, quam Iudæis, Colchicas gentes circumciſionis ritum didiciſſe teſtatur. Verba eius ſunt de expeditione Seſooſis ſiue Seſoſtris: Καὶ τὸν Γάγγην ποταμὸν διέβη, καὶ τὴν Ινδικὴν ἐπῆλθε πᾶσαν ἕως Ωκεανοῦ, καὶ τὰ τῶν Σκυθῶν ἔθνη μέχρι Ταναΐδου ποταμοῦ, τὸ διορίζον τὴν Ευρώπην ἀπὸ τῆς Ασίας. ὅτι ἰδή Φασι τῶν Αιγυπτίων τινὰς καταλειφθέντας περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην συσήσασθαι τὸ τῶν Κόλχων ἔθνος. ὅτι ὴ τοῦτο τὸ γὰρ Λιγυπτιακόν ἐστι, σημεῖον εἶναι τὸ περιτέμνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους παραπλησίως τοῖς κατ' Αἴγυπτον· Διαμάχονται δ' νομίμοις παρὰ τοῖς ἀποίκοις, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ιουδαίοις. hoc eſt: *Et Gangem fluuium tranſiit, & Indiam ad Oceanum vſque totam permeauit. tum & Scytharum gentes ſubiecit ad Tanaim vſque fluuium, qui Europam ab Aſia diſpeſcit, vbi Ægyptiorum nonnullos, ad Mæotim paludem relictos, Colchorum nationem condidiſſe tradunt, quam ab Ægyptiis oriundam eſſe hoc argumento docent, quod Ægyptiorum ritu circumcidantur, qui mos in colonia hac, perinde ac apud Iudæos, permanſerit.* His gemella tradit Herodotus in Euterpe cap. CIIII. Φαίνονται μὲν ἐόντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι. - - - - νομίζειν δ' ἔφασαν Αἰγύπτιοι τῆς Σεσώστριος στρατιῆς εἶναι τοὺς Κόλχους. Αὐτὸς ἐγὼ εἰκάζω τῇδε, - - - - ὅτι μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Συριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. *Colchi videntur Aegyptii eſſe. Dicunt autem Aegyptii, ſe opinari Colchos e Seſoſtris eſſe exercitu. Ipſe autem ex eo coniecturam capiebam, quod ſoli omnium hominum Colchi, & Aegyptii, & Aethiopes ab initio ſtatim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices, & Syri, qui ſunt in Palæſtina, didiciſſe id ab Aegyptiis & ipſi confitentur.* Nihil ergo Κῦταία, quæ Stephano πόλις Κολχικὴ, *vrbs Colchidis* eſt, ad Cutham Samaritanorum pertinet, quam ceteris cunctorum ſuffragiis conſtat in Oriente potius circa Perſidem aut Mediam quærendam eſſe, quam in litore maris Pontici, hoc eſt in Colchide. De Cu-

thæo-

thæorum autem ritibus, lege, religione & politia ſequentibus Capitibus agemus; iam ſufficit originem eorum genuinam indicaſſe.

XXII. Reliquum eſt, vt de *coloniis* Samaritanorum alio deductis, quantum reſcire potuimus, etiam referamus. Eſſe vero ad paucos admodum redactos, tam ex ipſorum litteris, quam aliorum, qui in Oriente peregrinati ſunt, ſermone cognoſcimus. *Sichem* ſiue Naplouſe metropolis eſt, cui ipſa gens primum locum dat, quod monti, quem ſanctiſſimum habet, Garizim ſubiecta eſt, quo ceteros colonos proficiſci oportet, cum ſacris ſolennibus operaturi ſunt. Nec vero ab ſolis Samaritanis, ſed præterea a Turcis pluribus habitatur, & præfecto regionis Turcico, quem Baſcham vocant, ſedem præbet. Nicolaus Sanſon, regius geographus, in Aſiæ deſcriptione pag. 16 *Sichem, aujourd'huy Naplouſe, a quelques Samaritains, & reſte la capitale de ce quartier, & la mieux habitée, mais avec force ruines.* Quod ſonat, Sichem, hodie Neapolim, *aliquos* Samaritanos habere: cetera caput eſſe regionis, & melius habitatam, quamuis non ſine ruinis ſit ingentibus. Et poſt paullo: *Hieruſalem eſt aujourd'huy gouverné par un Bacha, & Naplouſe par un autre, qui obeïſſent au Beglerbey de Damas.* Hoc eſt, Hierofolymam a Baſcha regi, Neapolim ab altero: vtrumque ſubeſſe Beglerbego Damaſceno. Nobiliſſimus quoque peregrinator Petrus della Valle in epiſtola ad Ioannem Morinum (XIIII eſt in faſciculo Anglicano, cui titulus *Antiquitates Eccleſiæ Orientalis* eſt) *in vrbe Sichem*, inquit, *ſimiliter pauci* [Samaritani] *erant.*

XXIII. Ceteræ ſedes Samaritanorum ab eodem peregrinatore laudata epiſtola p. 166 ſignificantur: *Samaritani quidem hodie perpauci ſunt, ex his aliquot reperi in Ægypto Cairi, & Gazæ, quosdam alios in Palæſtina, in ciuitate Sichem, a Turcis Naplus nuncupata, quæ nunc Samariæ regionis metropolis eſt, Samaria ſiue Sebaſtia ciuitate funditus diruta; atque etiam Hieroſolymis: alios denique Damaſci in Syria.* De ceteris locis aliunde etiam notum eſt, vt poſtea indicabimus: de Hieroſolymis vero dubitamus, quod non modo locum abominantur, & שממת אבדן *domum deſolationis* pro בית המקדש *domo ſanctuarii*, in epiſtolis ad laudatiſſimum Ludolfum contem-

contemtus cauſſa nuncupant: verum etiam ideo, quia eleemoſynas, ſi quas miſſuri ſint Europæi, in iisdem epiſtolis Hieroſolymas deferri iubent מאירופא *ad Francos* Chriſtianos, ישלחו *vt illi mittant* Sichemum Samaritis. Quod ſi ſuæ gentis homines Hieroſolymis habitare cognouiſſent, illis potius, quam Francis, pecuniam committi voluiſſent. Et ſicut Iudæi Neapolim detrectant habitare tanquam locum ſacris Samaritanis deſtinatum, teſtante Beniamine p. 38 אין שם יהודים *nullos ibi Iudæos eſſe*: ita ex mutuo odio veriſimillimum eſt, Samaritas pariter Hieroſolymorum habitationem declinare.

XXIV. Ægyptus antiquiſſimam procul dubio coloniam Samaritanorum habet. Ioſephus lib. XII Antiquit. cap. I ad Ptolemæum Lagi refert Samaritanorum in Ægyptum traductionem: ὁ δὲ Πτολεμαῖος, inquit, πολλοὺς αἰχμαλώτους λαβὼν ἀπό τε τῆς ὀρεινῆς Ιουδαίας, καὶ τῶν περὶ τὰ Ιεροσόλυμα τόπων, καὶ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ τῶν ἐν Γαριζεὶν, κατῴκισεν ἅπαντας εἰς Αἴγυπτον ἀγαγών. *Ptolemæus multos captiuos ex montano Iudææ tractu, & Hieroſolymorum vicinia, Samariaque & Garizim monte in Ægyptum traductos iuſſit ſedem ibi figere.* Ex his ſuperſtites pauci ſunt in populoſa vrbe Cairo, quorum altera epiſtola eſt, ad Scaligerum miſſa, a Morino Latine verſa, qua ipſi confitentur: *Hæc eſt epiſtola vniuerſæ congregationis Iſraelis, quæ eſt in Ægypto, adorans in monte Garizim domo Domini.* Petrus della Valle c. I. *Cairi erant circiter ſeptem familiæ eorum, inter quos vnus erat, quem vidi, Antiſtes ſacrorum de progenie Leui, quod ab illis pro certiſſimo habetur.* Ab Ægyptiis Samaritanis nouas colonias deductas eſſe (vt ab Iudæis Ægyptiis colonia Cyrenaica) non eſt quod dubitemus, cum numeroſos in Ægypto fuiſſe ex iis, quæ infra dicentur, conſtare poſſit. Vna præcipue colonia Ægyptiorum Samaritarum, quam Nubienſis geographus in parte quinta climatis ſecundi deſcribit, digna omnino eſt, vt commemoretur. Arabs hic de inſulis Rubri maris locutus, hæc addit:

ومنها جزيرة السامري يسكنوها قوم يهود سامريه
وعلامتهم ان يقول احدهم انا لغني انسانا لا سماس
ويهذه

وبهذه اللفظة يعرف انهم من اليهود المنسوبين الي
السامري صاحب العجل في زمن موسي عليه السلام

Gabriel Sionita & Ioannes Hesronita ita vertunt: *Inter has etiam est insula Samerei, quam colunt populi Iudei Samaritani, quorum tessera est, vt dicat quis ex ipsis, cum aliquem offenderit,* لا مساس *Ne attingas, & hac dictione deprehenduntur esse ex Iudæis, qui descendunt ex Sameri, auctore vituli tempore Mosis, super quem pax sit.* Ios. Scaliger de Emendat. Temp. lib. VII p. 622. ex his intelligebat, vere Samaritas esse, qui illam insulam incolunt, vt qui advenas colloquio sui arceant, & omnes profanos existiment, quos a sua lege ritibusque videant discordare, quæ arrogans superstitio hodieque Samaritanam gentem refert occupasse. Addit, in Alcorano etiam prouerbialem locutionem esse لا مساس *Nullius colloquio fruaris:* nec dubitat, insulares illos Samaritas ex Ægyptiensibus, quos Ptolemæus Lagi traduxerat, quorumque posteri etiamnum synagogam in magna vrbe Cairo habeant.

XXV. Proxima Ægyptiæ est *Gazensis* colonia siue in oppido *Gaza* ad mare mediterraneum sito inter Hierosolyma & limitem Ægypti. Hanc plures commemorant. Ipsi Samaritani epistola priore ad Scaligerum ex Morini versione: *Epistola tua, quam miseras in Ægyptum, peruenit ad nos Gazam & Sichem.* Et in epistola ad Anglos, cuius Latina versio cum Ludolfianis est edita, pag. 29 *Habitamus in Sichem, vrbe sancta, nec non in Gaza.* Petrus a Valle ad Morinum c. l. *Gazæ, Hierosolymis, ac in vrbe Sichem similiter pauci* [Samaritani] *erant, vt Cairi.* Richardus etiam Simon in Supplemento ad R. Leonis Mutinensis librum de Ritibus Iudæorum: *Les Samaritains d' aujurd'huy sont à Gaza, à Sichem,* &c.

XXVI. Maior paullo colonia est *Damascena.* Petrus della Valle c. l. *Gazæ, Hierosolymis, ac in vrbe Sichem similiter pauci* [Samaritani] *erant, vt Cairo: Damasci profecto aliquantulo plures, at non multo.* Richardus Simon loco dicto adiecit: *sont à Gaza, à Sichem, à Damas, au Caire.* Celeberrimus Hottingerus in Exercit.

Ant in Morin. p. 34. *Testis*, inquit, *quidam* ἀυτήκοος, *Samaritanis Damasci familiaris, clarissimo D. Golio referebat, insulsam atque ineptam esse hodiernorum Samaritanorum pronunciationem.* In codice Pentateuchi Samaritani Goliano testatur Hottingerus de Biblioth. Orient. p. 309 adscriptum, manca quidem oratione, de possessore eius ·ף֡ש֡ע֡פ֡ ·ל֡ה֡ע֡ ·ל֡ה֡ל֡ ·ע֡ש֡ל֡מ֡א֡ ·פ֡ ·ה֡ה֡כ֡ה֡ן֡ ·מ֡ל֡א֡

Ego Pinecha [*Pinehas*] *filius Ithamar sacerdos summus in Damasco*, e quibus vir clarissimus id colligit, vt credat, Samaritanos *Damasci habuisse summos sacerdotes*, χλεγλουηθένλας, quod nescio an ex verbis illis probari possit, præsertim si in solo monte Garizim sacrificant, vt tam ex epistolis illorum, quam vulgari peregrinantium sermone fuit creditum. Fecit *antistitis* in synagoga Cairensi mentionem idem della Valle, supra prolatis verbis, non autem diserte vocat ל֡ה֡ע֡ ·ל֡ה֡ל֡ *sacerdotem summum.* Sed de loco sanctificiorum in Cap. III disputabimus. Hoc iam sufficit nobis ex eadem inscriptione, Damasci habuisse ה֡ל֡ג֡ר֡ ·ה֡ל֡ל֡מ֡ *oratorem & lectorem*, quod satis argumentum est synagogæ non incelebris, quæ Damasci congregatur. Sic possessor codicis Vsseriani adscripserat (vt apud eundem Hottingerum est p. 310) ל֡ע֡ ·ע֡ר֡ב֡ ·מ֡ש֡פ֡ח֡ ·ף֡ש֡ע֡פ֡ *qui ex filiis Aram est, ex colonia Damascena.* Alias colonias nominatim referri non cognoui: esse autem præter has alicubi aliquas in Oriente, minus dubitamus, idque etiam Richardus Simon c.l. adfirmat, qui cum habitare Samaritanos Gazæ, Sichemi, Damasci & Cairi dixisset, adiecit *& autres lieux du Levant*, siue in aliis quoque locis Orientis.

CAPVT II
DE
POLITIA SAMARITANORVM.

DE republica Samaritana longe aliter censent ipsi Samaritani, quam diuinis humanisque litteris est proditum. Gens enim est,

eſt, (vt Scaliger ſcribit Emend. Temp. p. 620) totius antiquitatis, etiam quæ ad ipſos pertinet, ignariſſima. In monte Garizim ſacrarium religionis, & in ſubiecto oppido Sichem conſtitutas ſedes habent, neque a temporibus Ioſuæ ſe inde vnquam expulſos fuiſſe, aut aliunde, quam ex Ægypto cum Moſe huc immigraſſe credunt. Reges veteres Samariæ, defectionem tribuum, impulſore Ieroboamo, ne fando quidem acceperunt. Nomina Samſonis, Samuelis, Dauidis obiter perſtricta habent in Chronico, qui liber Ioſuæ ab illis dicitur. In reliqua vetuſtate omnino peregrini ſunt. Hæc etiam ex epiſtolis illorum ad Europæos patent, præſertim quibus nobiliſſimo Ludolfo reſpondent, ·אנא ·לא ידעית ·מה ·שמרון ·איתי *ſe ignorare, quid nomen Schomron* [ſiue Samariæ] *ſit:* & ·מן ·יומי ·עלותנא ·מצרים *a diebus gratiæ* ſeu ingreſſu Iſraelitarum ex Ægypto in terram Canaan ſe res ſuas & ſacra habuiſſe in monte Garizim: item ·אנחנא ·כולנא ·בני ·יוסף ·השתא ·מן ·שבט ·אפרים ·ומנשה ·וכולנא ·בני ·לוי: *ſe omnes eſſe ex filiis Ioſephi Iuſti, e tribubus Ephraim & Manaſſe; & ex filiis Leui.* Et in epiſtola ad Scaligerum p. 124 ita conqueruntor de *Cuthæorum* nomine: *Vocant nos* [Iudæi] *Cuthæos, ſed mentiuntur in verbis ſuis.*

II. Relictis fabulis imperitæ gentis, ex diuinis humanisque hiſtoriis Samaritanorum rempublicam breuiter delineamus. Tractum illum, vbi Samaria & Sichem ſunt, Ioſuam Ephraimitis diſtribuiſſe, ex diuiſione terræ Canaan non ignotum eſt: nec obſcurum, qualis ſub Iudicibus facies rerum, vt etiam ſub Saule, Dauide & Salomone fuerit. Schiſma quoque decem tribuum, Ieroboamo rebellante, ſatis certum eſt, vti etiam ſeries ac fortuna regum Samariæ ſiue Iſraelis. *Menachem* tributarius rex Aſſyriorum factus: *Pekah* amiſit partem Transiordanam & ſuperiorem Galilæam, abducente populum Tiglat-Phul-Aſſare, qui vulgo dicitur Tiglatpileſar: cum Hoſea ſucceſſiſſet, quidquid tribuum cis Iordanem in Iſraelis regno erat, Salmanaſſar in Aſſyriam deportauit, reductis viciſſim Cuthæis & aliis ex Oriente gentibus in vrbes & agros Samariæ. Et horum certa fides eſt, adfirmante diuinorum hominum hiſtoria, II Reg. XV. XVI. XVII & I Paralip. V & ſeq.

III.

III. Mixta tum & barbara colluuies regionem Samaritanam occupauit, propter idolorum cultum grauibus pœnis expoſita: ueriore autem de Deo ſenſu inde liberata, quamlibet auitos ritus non plane deſeruerunt, ſed meliori cultui admixtos ſeruarunt in poſteritatem, de quo ſequenti Capite dicendum erit. Infirmata breui poſt tempore Aſſyriaca dynaſtia, inualuit Babylonia, & poſt eam monarchia Perſica, atque ita ſub ſatrapis quoque Samaria manſit, vltimusque Sanballet fuit, a Dario Codomanno regioni impoſitus. Ioſephus lib. XI cap. VII extremo: Σαναβαλλέτης ὁ πεμφθεὶς εἰς Σαμάρειαν ὑπὸ Δαρείου τοῦ τελευταίου βασιλέως, σατράπης, Χουθαῖος τὸ γένος, ἐξ ὧν καὶ οἱ Σαμαρεῖς εἰσὶν, *Sanaballetes, miſſus ſatrapa in Samariam a Dario rege vltimo, Chutæus genere, vnde & Samaritis origo eſt.*

IV. Victo autem Dario in Cilicia, Sanaballetes in fidem ſe Alexandri dedit, cum is in Tyri vrbis obſidione hæreret. Idem Ioſephus cap. VIII *νομίσας ἥκειν ἐπὶ ἥδιον ἔχειν ὁ Σαναβαλλέτης τῆς ἀποστολῆς, Δαρείου μὲν ἀπέγνω, καὶ λαβὼν ὀκτακισχιλίους τῶν δεχομένων παρ' αὐτῷ πρὸς Αλέξανδρον ἦκε, Ratus iam occaſionem adeſſe Sanaballetes, a Dario defecit, & adſumtis octo millibus de ſua prouincia in Alexandri ſe caſtra contulit.* Mortuus breui poſt tempore Sanaballetes, cum Gazam obſideret Alexander, Ioſepho auctore c. l. pag. 385, eique Andromachus ſucceſſit, quem duro imperio irritati viuum Samaritæ, quod Curtius tradit lib. IIII cap. VIII, cremauerunt. Non ſane tam mitem in Samaritanos Alexandrum, quam in Iudæos fuiſſe, ibidem Ioſephus vel vere, vel cauſſæ ſuorum non nihil indulgens, adſeuerauit. Sicimitis enim, quos Sanballet miſerat, Alexandrum negaſſe tradit ſeptimi anni immunitatem, quam Iudæis conceſſerat: eosdem autem ſecum in Ægyptum abductos prouinciæ Thebaidi præſidio impoſuiſſe, qui an permanſerint ibidem in colonia, antequam Ptolemæus ſuam deduceret, pro certiſſimo non habemus. Ioſephus tamen extremo libro XI dixit, promiſiſſe Alexandrum ἐκεῖ αὐτοῖς δώσειν κλήρους γῆς, *ibi ſe agros eis diuiſurum.*

V. Poſt exceſſum Alexandri in poteſtatem Ptolemæorum venerunt, ſicut de colonia, ex Samaritide in Ægyptum a Ptolemæo Lagi

Lagi deducta, supra prædiximus. Coram Ptolemæo Philometore contenderunt Samaritæ cum Iudæis de templo suo, Iosepho teste lib. XIII cap. VI, quod autem de Ægyptiis potius Samaritis, quam Palæstinensibus, intelligendum est. Nam varia fortuna Palæstinæ erat, quæ nunc Ægyptiis, nunc Syris regibus eosdem subiiciebat, pro vt hæc vel illa gens bello erat potentior. Nam & Antiocho Epiphani Samaritani paruerunt, vt non tantum præfectos ab illo haberent μεριδάρχλω Apollonium, & Nicanorem πράτ]ουτα τὰ βασιλικά: verum etiam templum suum Garizimitanum offerrent, ϖϱοσαγορ&ϑῆναι Διὸς Ἑλλωίϖ, *vt vocaretur Iouis Græcanici*, eodem auctore lib. XII Antiquit. cap. VII. Ex quo tempore in Syrorum potestate, saltim fide & clientela, mansisse Samaritas minus dubitamus, præsertim quod Antiochus Cyzicenus contra Hasmonæos tam suis copiis, quam auxiliaribus Ptolemæi Lathuri defensum illos iuit, quamquam nihil proficeret, bis fugatus ab Iudæis, eodem historico referente lib. XIII cap. XVIII.

VI. Vicit enim Ioannes Hyrcanus, nec Samariam modo, vrbem munitissimam, solo æquauit, sed templum etiam in monte Garizim exstructum, Sanaballetis opus, funditus euertit, lib. XIII cap. XVII & XVIII. Fracta tum potentia Samaritarum fuit, qui cum Iudæis, quibus aliquamdiu seruierant, in Romanorum potestatem venerunt. Gabinius enim Samariam instaurauit, vt cap. I narrauimus: Herodes, ab Romanis adpellatus rex, Samariæ etiam præfuit, & Gabinii vrbem amplius exornans Sebasten nominauit, eoque mortuo Archelaus filius de Cæsaris Augusti voluntate præter Iudæam & Idumæam, ex paternis possessionibus τὸ Σαμαρειτικὸν accepit, sed ea lege, vt quarta pars tributorum Samaritanis remitteretur, Καίσαϱος δυ]οῖς κλ́ϕισιν ψηϕισαμέν&, Δι᾽ ὃ τὸ μὴ ἀπο]ῆναι τῇ λοιπῇ πληθύϊ, *Augusto Cæsare* [tributi] *releuationem decernente, eo quod ceteris tumultuantibus soli mansissent in officio*, Ioseph. lib. XIII cap. XIII. Relegato Archelao sub ius præsidis, quem *procuratorem* Cæsaris adpellat Tacitus XV cap. XLIIII, venerunt. Pilato hinc apud Ioseph. XVIII cap. V negotium fuit cum Samaritanis, quos impostor quidam concitauerat, pollicitus se sacra vasa, in monte Garizim refossa, quæ Moses ibi deposuisset, ostensurum esse. Pilatus

autem vicit & disiecit rebellantes, quamquam non siue periculo, quippe accusatus ab illis apud Vitellium Syriæ præsidem, Romam missus est ad caussam dicendam. Agrippa maior, regni titulo auctus interuenit: succesſerunt rursus Romani præsides, ut *Histor. Antiq.* pag. 116. exposuimus.

VII. Iudaico bello idem fatum, quod vniuersam Palæstinam, etiam Samariam pressit, cuius rei si non alia vestigia essent, vel hoc sufficere potest, quod Vespasianus *μ᾽ δυνάμεως διὰ τῆς Σαμαρείδος καὶ ἐπὶ τὴν Νεάπολιν καταβὰς εἰς Κορεαὶν στρατοπεδεύσατο, cum exercitu per Samaritanam regionem, iuxta Neapolim in Coream descendit ibidemque castra posuit*, vnde postridie Hierichuntem peruenit. Ioseph. de Bello Iud. lib. v. cap. III. Sub Hadriano, qui Iudaicum bellum gessit, nihil memorabile de Samaritis inuenio, nisi quod ipse imperator in epistola ad consulem Seruianum (apud Vopiscum in Saturnino) *Samaritas* iuxta ac iudæos memorauit, vtrosque cum priscam religionem exuisse simularint, sequutos esse cultum Serapidis, dei Aegyptiorum. Sub Septimio Seuero, vt Eusebius in Chronico refert, *Iudaicum & Samariticum bellum motum* est, cui senatus propterea *Iudaicum triumphum* decreuerat *idcirco, quod & in Syria res bene gestæ fuerant a Seuero*, vt Spartianus obseruavit in Vita cap. XVI, quibus & res Samaritanæ continentur. Nam vt idem cap. IX prodit, *Neapolitanis Palæstinensibus ius ciuitatis tulit*, [id est abstulit] *quod pro Nigro* [Seueri æmulo] *diu in armis fuerant*. Sed vt ceteris Palæstinis, ita etiam Samaritanis credo pœnam postea remissam esse. Nam cap. XV idem *Palæstinis*, inquit, *pœnam remisit, quam ob caussam Nigri meruerant*. Lampridius in Elagabalo cap. III Samaritanorum religionem memorauit: de republica illorum nihil, quod sciam, protulit, cuius in historia sequutorum temporum magna obscuritas est & profundum silentium.

VIII. Fuisse medio illo æuo Samaritas dispersos, nec per Ægyptum modo & reliquum Orientem, quod ex Hadriani epistola apud Vopiscum & aliis adhuc dictis adparet; verum etiam in ipso Occidente circa Constantinopolim & veterem Romam, leges imperatorum argumento sunt, præsertim XVI & XXVIII Cod. Theodos. de Iudæis, Cœlicolis & Samaritanis, latæ ab Arcadio, Honorio & Theo-

Theodosio augustis, vt etiam lex XVIII de Nauicularíis, & de Samaritis CXXIX ac CXLIIII. Romæ etiam Theoderici regis temporibus, & antea quoque, synagogam habuisse, ex Cassiodori lib. III Variarum epistola XLV manifestum est. Domum enim ibidem quæ ad ecclesiæ possessiones pertinuerat, Samaritæ repetierunt tanquam suæ olim synagogæ destinatam. *Existere*, inquit, *Samareæ superstitionis populum, improba fronte duratum, qui synagogam ibidem fuisse, iniquis conatibus mentiatur.* Vitæ genus huiusmodi dispersornm Samaritarum plerumque negotiatorium erat, vt etiam a multis sæculis mos Iudæorum est. Vnde factum, vt Constantinopoli *Samaritæ* vocarentur ministri mensariorum, qui rationes conficientibus aderant & iis subscribebant. Iustinianus in edicto περὶ ἀργυραγραφικῶν συναλλαγμάτων ita: Εἰ γράμματα φέροι αὐτὸ τὸ τῆς τραπέζης ἀναγνώστου, τὸ γε ὑπογραφέως αὐτό, ὃς Σαμαρείτας καλοῦσι. Casaubonus in Lampridii Elagab. cap. III subdubitat, annon adlusum sit ad vocis originem, vt idem valeat Σαμαρείτης, quod φυλακήσιος, quia ex *custodiendi* verbo שמר manauit. Quod non probabile est, & malim de iis, qui professione Samaritani sunt, intelligere, non autem de cunctis eius nationis. Nam Balsamo etiam Σαμαρείτας γεωργούς, *Samaritas agricolas* memorauit ad Nomocanonem Photii titulo IV cap. VII, & fuisse hos meliore conditione, quam ceteros, ostendit. Ipse Photius titulo X cap. VIII τοὺς τὰ γήδια γεωργοῦντας Σαμαρείτας nominat.

IX. Quamuis vero ita dispersi per orbem erant, eodem tamen æuo adhuc rempublicam quandam, saltim tumultuariam, in Oriente habebant. Procopius lib. V de Ædific. cap. VII ἐπὶ Ζήνωνος βασιλεύοντος οἱ θεοὶ ἐξαπιναίως οἱ Σαμαρεῖται γενόμενοι ἐπεισπηδῶσιν ἐν Νεαπόλει τοῖς Χριστιανοῖς, *Zenonis principatu Samaritæ irruebant Neapoli in Christianos*, sacris in ecclesia festo Pentecostes die operam dantes, in quos Zeno animaduertit, ἔκ τε ὄρους Γαριζὶν τοὺς Σαμαρείτας ἐξελάσας, εὐθὺς Χριστιανοῖς τε αὐτὸ ξυνοικίδωσιν, *exturbans illos de monte Garizim, quem Christianis habitandum dedit.* Globus quidam eorundem Samaritarum sub Anastasio montem subiit, Christianosque inuasit: verum desertus a gentilibus suis oppidanis, quos inclamauerat, pœnas dedit præfidi illius

illius regionis, quod idem procopius c. I. narrauit. Maior tumultus sub Iustiniano erat, quem Theophanes nobis f. 152 [ed. Paris.] ita descripsit: Σαμαρεῖται καὶ Ιουδαῖοι ἐν Παλαιστίνῃ βασιλέα τινὰ Ιουλιανὸν ἔστεψαν, καὶ κατὰ Χριστιανῶν ὅπλα κινήσαντες, ἁρπαγὰς, καὶ φόνους, καὶ ἐμπρησμούς, κατὰ Χριστιανῶν εἰργάζαντο, οὓς ὁ Θεὸς παρέδωκεν εἰς χεῖρας Ιουστινιανοῦ καὶ ἀνήλωσε πάντας, καὶ ἀπεκεφάλισεν τὸν τύραννον Ιουλιανόν. *Samaritæ & Iudæi, Palæstinam incolentes, Iuliano quodam in regem coronato, motisque in Christianos armis, rapinas, cædes, incendia aduersus eos excitauerunt, quos Deus in Iustiniani manus tradidit, adeo vt deletis omnibus Iulianum tyrannum capite obtruncarit.* Reliqui ad Chosroem, Persarum regem, profugerunt, & proditionem Palæstinæ polliciti reuocarunt eum, ne pacem cum Iustiniano, qui legatum eius caussa miserat, iniret. Hoc enim Theophanes c. l. exsertis verbis Samaritarum machinationi imputat, πεισθεὶς, inquiens, ὑπὸ Σαμαρειτῶν, τῶν φυγόντων αὐτῷ. *persuasus ita rex erat a profugis Samaritanis.*

X. Post hæc tempora nihil de Samaritanis mihi compertum est: credo eos Saracenis in Oriente inualescentibus succubuisse. Qvam miserabiles enim tum cœperit status Palæstinæ esse, Zonaras aliique scriptores in Heraclio & successoribus ostenderunt. Cum vero Christiani Terram Sanctam recuperassent, & diuisa Palæstina esset in regnum Hierosolymitanum & alios principatus, regi Hierosolymitano mansit Neapolis & tractus ille, quem olim Samaritani possederunt: quorum autem in sacris istis bellis, quæ per CC annos gesta sunt, vel nulla vel rarissima apud historicos illorum temporum est mentio, vt appareat ad exiguum numerum, vt hodie sunt, redactos fuisse, vel deletos bellorum tumultibus, vel ad Christianam religionem perductos, siquidem ex Procopii fide citato lib. V. cap. VII de Ædificiis, Ιουστινιανὸς βασιλεὺς τοὺς Σαμαρείτας ἐκ τοῦ ἀπιθάνου ἐπὶ τὸ εὐσεβέστερον μεταθέμενος καὶ καταστρώμενος Χριστιανοὺς εἶναι, *Iustinianus augustus Samaritanos plerosque ad pietatem Christique sacra traduxit.* Quod status Samariæ Belli Sacri temporibus mentionem iam fecimus; æquum est, vt fidei nostræ tuendæ vel vnum eius scriptorem producamus. Mar. Sanutus Torsellus lib. III parte VII ineunte: *Pro ipsius regni tutela inter principes*

cipes & barones, vt adſolet, eſt diuiſum, qui terram ſub rege cuſtodirent ac defenderent, retenta regi parte digniori ac meliori, ciuitate ſcilicet ſacra IERVSALEM, NEAPOLI, PTOLEMAIDA ET TYRO.

XI. Cum nihil ſuccurrat amplius, quod ex hiſtoriis proferamus, reſtat vt de conditione Samaritarum medio æuo aliquid ediſſeratur. Supra num. VIII ad leges Codicis prouocatum eſt, in quibus eorum mentio iniecta ſit, nempe Cod. Theodoſ. de Iudæis, Cœlicolis & Samaritanis Lege XVI & XXVIII, vti & Novellis quibusdam. Ex quibus id apparet, Honorii æuo ad honores militiæ, aduocationis, & curialium munerum aditum fuiſſe Samaritanis æque ac Iudæis, ſed ſub conditione dignitatis & liberalium ſtudiorum, quæ illa ætate Samaritanis & Iudæis, perinde, ac Chriſtianis & gentilibus patebant. Cum autem Iuſtinianus potitus rerum eſſet, reliquiæ Samaritarum, qui recuſauerant profeſſionem chriſtianam, exciderunt honoribus, quos maioribus illorum ſuperiores imperatores indulſerant. Adi clariſſimum iurisconſultum IACOBVM GODOFREDVM ad leges XVI & XXIIII Cod. Theod. de Iud. Cœlic. & Samaritanis. Repetit hæc & explicat patriarcha Photius Nomocan. tit. X cap. VIII, quod quædam conſtitutiones imperatoriæ permittant *τὰς Σαμαρείτας λαμβάνειν δωρεὰς ἐκ διαθηκῶν, καὶ διδόναι καὶ διαπέμπειν Σαμαρείταις ἀνδρῶν παισὶ, καὶ γονεῦσι, καὶ συγγενέσιν, Samaritas ex donatione atque teſtamento capere, tum donare, & ad liberos ſuos parentes & cognatos Samaritanos transmittere:* alia autem conſtitutione dici, *ὅτι Σαμαρεῖται δὲ κληρονομοῦσιν ἐκ διαθήκης, ἢ ἐξ ἀδιαθέτου, ὅτε λεγατα ἢ δωρεὰς λαμβάνουσιν, Samaritanos ex teſtamento aut inteſtato heredes non fieri, neque legata aut donationes capere.* Plus tamen ibidem Samaritanis τὰ γήδια γεωργοῦσι, quam reliquis, concedit, nempe *γεάφειν κληρονόμους ἀνιόντας καὶ καταιόντας αὐτοῖς, καὶ λεγατεύειν, κἂν ὦσι Σαμαρεῖται, heredes ſcribere parentes aut liberos ſuos, quamlibet Samaritani ſunt.*

XII. Cauſſa, quæ Iuſtinianum mouerit ad duriorem de Samaritis ſententiam, non tantum communis erat, quod nollent cum aliis tribulium ſuorum ſe Chriſto addicere; ſed propria etiam ſæuitiæ & immanitatis. Non enim in ſola Neapoli Chriſtianis damna,

intulerunt, vt ex Procopio ſupra narrauimus, epiſcopum quoque ciuitatis illius obtruncantes: ſed in aliis etiam Palæſtinæ locis هدموا الكنايس كلها *omnes eccleſias diruerunt*, & in eas ignes iniecerunt grauibusque cruciatibus adfecerunt Chriſtianos, vt Eutychius Batricides, patriarcha Alexandrinus refert Tom. II pag. 156.

XIII. Hæc de politia Samaritanorum & ciuili hiſtoria conquiſiuimus. Addi ab aliis poſſunt, qui plura legerunt. Vnum adiicimus ex hiſtorico illorum libro, quem *Ioſuæ* vocant, cuius ſummam nobis Hottingerus excerpſit. Supra ex Scaligeri mente propoſuimus, hodiernos Samaritanos credere, ſe inde ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto nunquam fuiſſe ex ſede, quem circa montem Garizim occupaſſent, expulſos, aut aliunde huc nouos colonos miſſos, quod in cunctis etiam ad Europæos epiſtolis non obſcure confirmant: ex libro autem illo Ioſuæ Hottingerus Enneadis p. 31 refert, *communem* [cum Iudæis] *agnoſcere captiuitatem tam ſub Nebucadnezare, quam ſub Hadriano.* Cum vero non cuiusuis ſit illum codicem inſpicere, definire non poſſum, num etiam in Babyloniam ſe abductos fuiſſe a Chaldæis credant, & poſt LXX annos inde reductos, an de ſola belli illud calamitate intellexerint.

CAPVT III
DE
RELIGIONE SAMARITARVM.

COmmunem Iſraelitarum ante ſchiſma religionem fuiſſe, nunc puram, nunc deorum cultu deprauatam ex ſacris hiſtoriis manifeſtiſſime conſtat. Æmulatio autem tribuum, Iehudæ puta & Ephraim, videtur etiam ante ſchiſma viguiſſe, Ephraimitis ex ſingulari voto Iacobi ad ſe rapientibus, quod Iehudæ tribui proprium ex promiſſione erat. Non enim contenti erant Manaſſis ſe tribui prælatos eſſe, ſed Meſſiæ etiam dignitatem ſibi præ ceteris tribubus deberi ſpe haud dubia crediderunt. Recentiſſimus ſcriptor P. Allix parte II cap. XVII libri, quem *Reflexions ſur les cinq livres de Moyſe* vocat, id ex Iudæorum ſuffragiis ita probauit: *Il étoit comme natu,*

naturel à ceux d' Ephraim de se nourir dans cette esperance, comme les Juifs nous aprennent aussi qu' ils ont fait, en parlant encore aujourd' huy d' un Messie descendu de Ephraim. Naturalem quasi fuisse ait Ephraimitis opinionem, quemadmodum ipsi Iudæi prodant, quid illi senserint, dum adhuc loquuntur de Messia quodam ex tribu Ephraim oriundo.

II. Atque ita omnino est, & tam veteres, quam recentes Iudæi multa de *Messia Ben Ephraim*, siue *Ben Ioseph* iactant, quem opponunt alteri, qui & ipsis est *filius Iehudæ*, siue *filius Dauidis*. Targum Canticor. cap. IIII, comm. V, & cap. VII comm. III תרין פריקיך דעתידין למפרקיך משיח בר דוד ומשיח בר אפרים *Duo liberatores tui, qui parati sunt ad te liberandam, Messias Dauidis filius, & Messias filius Ephraim.* Et aliud Targum, quod Ionathani tribuitur, Exod. XL, comm. XI מטול משיחא בר אפרים דנפיק מנוחי *propter Messiam filium Ephraim, qui egressurus est ab illo.* AbenEsra in Psalm. LXXX comm. XVIII דרך משל והכוונתו הוא על ישראל או משיח בן אפרים *Translatitio sensu hæc dicuntur, vel de Israele, vel de Messia filio Ephraim.* Alibi & sæpius vocatur משיח בן יוסף *Messias Iosephi filius*, e. gr. ab eodem Raschi in Esa. XI, 13 vbi distinguit משיח בן יוסף ומשיח בן יהודה *Messiam Iosephi filium, & Messiam filium Iehudæ:* ac in Esa. XXIIII, 18 הנמלט מקרב משיח בן יוסף יפול על חרב משיח בן דוד *qui gladium Messiæ, Iosephi filii euadet, incidet in gladium Messiæ filii Dauidis.* Addi & AbenEsra potest in Zachar. IX, 9, & Abarbenel in Esa. LIII p. 78 col. 4. & ipsum Talmud in Massechet Succot cap. V fol. 52, & cumprimis liber Aucot Rochel, quem clarissimus Hulsius vulgauit, qui quidquid huius fabulæ est, & omnes res gerendas confícti huius Messiæ, nescio qua diuinatione aut phantasia præcognitas, tribulibus suis in solatium exsilii diuturni prædixit.

III. Quod si ergo Iudæi Messiam quendam ex tribu Ephraim agnoscunt, quem solum exspectant ex sua gente Samaritani: oportet de Messia Iosephi filio sententiam multo antiquiorem, quam schisma decem aut nouem tribuum fuisse. Post schisma enim odium Iudæorum aduersus tribus illas & has secutos Cuthæos & Samarita

nos ita inualuit, vt nihil commercii cum illis, ne dum ſacra haberent communia. Pronum ergo ad fidem eſt, ab antiquis temporibus tribum Iehudæ & tribum Ephraim, vaticiniis & benedictione, fretas, de prærogatiua etiam Meſſiæ, quem vtraque tribus ex ſua gente oriturum credebat, non leuiter contendiſſe. Sciſſione autem Iſraelitarum facta Ieroboam veritus, ne ſacrorum officiis, quæ Hieroſolymis per ſingulos annos ſtatutis diebus peragenda erant, gentes ſuæ ditionis ad Hieroſolymitanos reges reducerentur; nouam ſibi ſuisque religionem inſtituit, *vitulorum* ſcilicet, quorum alterum in Bethele, auſtrali limite regni Iſraelitici; alterum in Dane, qui terminus borealis erat, collocauit. Burchardus de Monte Sion, non incelebris peregrinator, in deſcriptione Terræ Sanctæ de Dane ita ſenſit: *De Sebaſte contra auſtrum duabus leucis mons Bethel: inde ad dimidiam leucam eſt mons Dan ſupra ciuitatem Sichem ad ſiniſtram. In quibus duobus montibus Ieroboam filius Naboth poſuit duos vitulos aureos.* Sed errat, a monachis illius regionis, vt fieri ſolet, fortean perſuaſus. Ioſephus enim lib. VIII Antiquit. cap. III perſpicue, δύο ποιήσας δαμάλεις χρυσᾶς καὶ οἰκοδομήσας ναΐσκους τοσούτους, ἕνα μὲν ἐν Βηθήλῃ πόλει, τὸν ἕτερον δ' ἐν Δάνῃ; ἡ δὲ πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ μικροῦ Ιορδάνου, *duas* [Ieroboamus] *fecit vitulas aureas, & totidem delubra ædificauit, vnum in oppido Bethele, alterum in Dane, quæ vrbs eſt ad fontes Iordanis minoris.* Kimchi in I Regum XII, 30 de oppido Dane, אף על פי שהיה בקצה הגבול נתן חלק יען הקצה הזה לדוקין בעבודה זרה *Etiamſi in extremis finibus ſitum fuit, tamen inde vſque ab altero limite eo venerunt religione compulſi.*

IIII. Vitulos autem plurimi religionem Aegyptiam interpretantur. Hieronymus in Hoſeæ cap. IIII, comm. XV *Videtur mihi*, inquit, *iccirco & populus Iſrael in ſolitudine ſibi caput vituli, quod coleret; & Hieroboam filius Nabath vitulos aureos fabricatus, vt quod in Ægypto didicerant ἄπιν καὶ μνεῦιν, qui in figura boum coluntur, eſſe deos, hac in ſua ſuperſtitione ſeruarent.* Sed Allixius antea citato loco: *Jeroboam n' affecta de donner à ſon peuple pour ſymboles de la Dtvinité les deux Veaux, qu' il dreſſa en Dan & Bethel, que pour ſuivre l' idee des ſonges de Pharaon expliqués par Ioſeph,*

ſeph, dont l' image figuroit clairement & la grandeur de Joſeph & les ſoins, dont la Providence l' avoit honoré. Hoc eſt, noluiſſe Ieroboamum vt deos haberi illos vitulos, ſed vt monumenta ſomniorum, quæ Pharaoni Ioſephus explicuerat; & honorum, quos idem inde fuerat conſecutus. Verum quæcunque mens Ieroboami fuit, populus tamen vt deos, illos vitulos excepit, diuinosque illis honores detulit, vt ex prophetarum inuectiuis manifeſtiſſimum eſt. De ſexu vitulorum diſputari quoque poteſt. Hoſeæ x, 5 vocantur עגלות *vitulæ*, at I Regum XII, 28 עגלים *vituli.* Hieronymus ad iſtud Hoſeæ verbum: *cum irriſione non vitulos ſexus maſculini, ſed vaccas, id eſt feminas appellauit.* Kimchi autem nihil myſterii aut irriſionis ſubeſſe exiſtimat, זכר לשון נקבה כי לא היו אלא לעורות *memorantur*, inquit, *vtroque ſexu, quia nihil niſi ſimulacra fuerunt*, vt ita ex diuerſo hoc genere haud certo oſtendi poſſit, utrum Apin taurum. an vaccas Pharaonis repræſertauerint. Addit ibidem Hieronymus ex ſententia Ebræorum, *vitulos aureos a ſacerdotibus furto eſſe ſublatos, & pro his æneos & deauratos repoſitos.*

V. Hæc ratio ſacrorum erat, antequam in Aſſyriam abducerentur Iſraelitæ. Succeſſit Cuthæorum & æqualium peruerſa religio, II Reg. XVII a variis idolis ſeu diis ita deſcripta, ſicut ex Babylonia hac miſſis tribuebantur *Succot Benot* Cuthæis, *Nergal*, Hamathæis *Aſchima*, Havæus *Nibchas* & *Tarthak*, Sepharuæis Adramelech & Anamelech. Kimchi ita interpretatur סכות בנות, quod primum nomen eſt, כן היה שם ע"ז שהיו עובדים בקרפס ורחיבו כי שם ע"ז שלבבל היה שמה נל--זה היה בימי נבוכדנצר - - - בימי מלך אשור היתה ע"ז שלהם סכות בכות ובערבי ח"ל סכנת בכות זה תכלנית בלומר דמות תרנגלת היו עובדים והיה שמה סכת בנות *Hoc nomen eſt idoli, quod in patria coluerant* [Babyloniorum coloni] *Videmus quidem nomen idoli Babylonii fuiſſe Nebucadnezaris temporibus* Bel: *at ſub Aſſyriæ rege* Succot Benot, *quod ſapientes noſtri* gallinam *interpretantur, quaſi ſimulacrum gallinæ adorauerint, cuius nomen fuerit* Succot Benot. De Nergal idem tradit זה תרנגולת הבר *ſilueſtris gallina eſt:* de Aſchima, הוא תיש *hircus eſt:* de Nibchas הוא כלב *canis eſt:* de Tarthak סירוסו נו צורת חמור *figuram aſini ſignificat:* de Adramelech הוא הפרד *onager eſt:* de Anamelech זה הסוס *hic equus eſt.* Eadem fere Abarbenel

benel in hunc locum habet תכזי נבל עזו לת סוכות נכות ואמר רב יהודה בפרק קרבע מיתות שהיו עובדים תרנגולת ותכזי כות עזו לת כרגל שהוא התרנגול ותכזי חמת עזו לת קזיוק שהוא התיש והעוים לת נבחו ולת תרתק שהיה כלב וחמור שזכרו חו"ל במקום הנזכר *Babylonii fecere Succot Benot. Dixit R. Iuda capite* מיתות קרבע *quod coluerint gallinam. Cuthæi fecerunt Nergal, hoc est gallum: Hemathæi fecere Aschima siue hircum: Avæi autem Nibhas & Tarthnak, id est canem & asinum, vt memorant sapientes nostri dicto loco.* Sunt autem hæc ex codice Sanhedrin, cap. מיתות קרבע depromta, quæ singula suis auctoribus relinquuntur. De solo nomine *Succot Benot* notamus, non incommodam expositionem Seldeni de Diis Syris Syntagm. II cap. VII, & Vossii Theol. Gentil. lib. II cap. XXII videri, qua *tabernacula filiarum* siue *mulierum* significari dicuntur, vt ad Veneris Assyriæ templum, quod iuxta Babylonem erat, siue ad prauissimum morem mulierum Babyloniarum, quem Herodotus lib. I cap. CXCIX & Strabo lib. XVI describunt; id est ad cultum Veneris Assyriæ, quam Mylittam dixerunt, nomina *Succot Benot* referantur. Hinc *Siccam Veneriam* quoque Carthaginensium in Africa coloniam, ex eodem ritu nomen suum habuisse eiusdem Vossii sententia est, quatenus *Sicca* verbo Succcot; *Venus* siue Veneria voci Benot respondet, *B* cum *V*, *T* cum *S* pro consuetudine permutatis.

VI. Mixtus cultus, vt ex sacra historia notum est, crassissimam hanc idololatriam excepit, qui vero non vltra tempora, quibus Iudæi ex Babylonia redierunt, videtur permansisse. Tunc enim exspirauit idololatria præsertim cum Manasses pontifex, Sanballetis gener, religionem institueret non admodum Iudaicæ dissimilem. Mons *Garizim* ad hanc electus est, benedictionibus olim sacratus: qui vt sanctior esset, finxerunt perpetuo ibi puriorem Dei cultum constitisse. Damasius in Vita Isidori Ἀργάριζον vocat, atque in eo Iouis templum fuisse positum ab Abraham: & forte idem montis nomen excidit apud Scylacem in descriptione Palæstinæ, vbi legitur ὄρος ἱερὸν Διός: quod censet etiam Lucas Holstenius Adnotat. ad Ortelium voce *Garizim*. Hæc autem hausta sunt ex Alexandro Polyhistore, cuius verba referuntur ab Eusebio Præpar. Euang. lib. IX cap. XVII. vbi Eupolemi auctoritate id adseritur.

Faci-

Facile errorem in nomine Διὸς largimur: non autem concedimus facile in monte illo antiquissimis temporibus celebratum aliquod templum fuisse, quamlibet *οἱ πατέρες ἐν τούτῳ τῷ ὄρει προσεκύνησαν*, Ioann. IV, 20.

VII. Fuit tamen aliquando, cum Garizimitanum templum Διὶ Ἑλληνικῷ, *Ioui Græcanico* ab ipsis Samaritanis permitteretur, vt illa vel simulatione, vel defectione declinarent Antiochi acerbitatem, quam Iudæi perpessi fuerant. Iosephus vt conditum huius Templi lib. XI Antiq. cap. VIII; ita etiam Ioui factam vel concessam dedicationem scripsit lib. VII cap. VII, vt supra pag. 21 recensuimus. Ex mutata religionis & diuini cultus sede implacabile odium inter Iudæos & Samaritanos exortum est, quod in dies eo magis creuit, quo plures ex Iudæis ad Samaritanos, male sibi conscii, perfugiebant; hinc mutuæ obtrectationes & calumniæ, vt perditissimum quemque mortalium *Samaritam* appellarent Iudæi, qui longius inde ab Esræ temporibus originem huius odii arcessunt. Dira exsecratio est, qua Iudæi in Pirke R. Eliesер cap. XXXVIII Samaritanos ab Esra & æqualibus perculsos esse tradunt מה עשו עזרא וזרובבל ויהושע בן יהוצדק, קבצו את כל הקהל קל היכל ה' והביאו שלש מאות תיבוקות ושלש מאות ספרי תורה בידם ושלוש מאות כוהנים וג' מאות חוצרות והיו תוקעין, והלויים משוררים ומזמרים ואמרין את הכותיים בשוד שם המפורש ובכתב הנכתב על הלוחות, ובחרם בית דין העליון ובחרם בית דין התחתון, שלא יאכל לחם מישראל פת כותי עד עולם, מכאן אמרו כל האוכל בשר כותי כאילו אוכל בשר חזיר, ולא יגיר לחם כותי, ולא יהא להם חלק בתחיית המתים שנאמר לא לכם ולבנו לבבות בית לאלהינו, לא בעולם הזה ולא בעולם הבא, ועוד שלא יהיה להם חלק ונחלה בירושלם שנאמר ולכם אין חלק וצדקה וזכרון בירושלם, *Quid fecerunt Esra & Zorobabel & Iosua filius Iehozadak? congregarunt vniuersam ecclesiam in templo Domini, & adduxerunt* CCC *paruulos qui totidem libros Legis tenebant manibus; &* CCC *sacerdotes cum totidem buccinis, qui clangebant: & Lenitas qui cantarent & psallerent; & excommunicarunt Samaritanos per arcanum Nominis sacrosancti & per scripturam, consignatam in tabulis: & per anathema domus superioris & inferioris, ne quis Israelitarum comedat cum Cuthæo. Dixerunt enim, quicunque comedet cibum Samaritani, similis est ei, qui edit carnem suillam: nec quisquam faciat ex*

Sama-

Samarita proſelytum, neque habeant partem in reſurrectione mortuorum, quia ſcriptum eſt [Eſr. IV, 3] *Non licet vobis ædificare domum Dei noſtri nobiſcum, neque in hoc ſæculo, nempe in futuro: neque ſit vobis pars & hereditas in Hieroſolymis, quod ſcriptum eſt* [Nehem. II, 20] *Non habetis portionem, aut ius, aut memoriale Hieroſolymis.* Conſuli etiam poteſt Abarbenel in Prophetas Priores pag. 292 col. 4. Cauſſa atrocis exſecrationis erat, quod Samaritani impeditum ibant templi Hieroſolymitani inſtaurationem.

VIII. Creuit odium, vt diximus, cum Garizimitanum templum Hieroſolymitano opponeretur. Eccleſiaſticus cap. L comm. XXVII προσώχθησεν, inquit, ἡ ψυχή μου, *anima mea tres populos odio habet*, Philiſtæos, Edomitas (legendum enim οἱ καθημένοι ἐν ὄρει Σηείρ, non ὄρει Σαμαρείας) & *Sichemitas*, quos ne nomine quidem gentis dignos habet, καὶ τὸ τέτον οὐκ ἔστιν ἔθνος, ὁ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις, *plebs Sichemitarum inſipiens.* Mira hinc Iudæorum in Samaritanos conuicia, quarum tria adduxiſſe iam ſufficiat. Sententiam Sadducæorum, quaſi *reſurrectionem* negarent, illis imputabant. In Talmud Sanhedrin cap. כל ישראל num. 3 R. Eileſer נדנר הזה זייפתי ספרי כותיים לומרים יש תחיית המתים מן התורה *Hac in re falſatos probaui libros Samaritanorum, quod dicunt reſurrectionem mortuorum Lege non adſtrui.* R. Ioſeph Albo libro IV Ikkarim cap. XXXI poſt initium ויקראו לת זה תקיית המתים לקלון על הצדוקים והכותיים הכופרים בתחלרות הנפש ואומרים שהנפש תמות במות הגוף *in dubium reſurrectionem mortuorum vocant Sadducæi & Samaritani, qui negant immortalitatem animæ, aiuntque animam cum corpore exſtingui.* R. Ganz in Zemach Dauid parte I ad ann. DCXLVI עלה המלך יותן הנקרא הורקנום והחריב לת מקדש הצדוקים והכותיים שעזו בהר גריזים *Adſcendit rex Ioannes, cognomine Hyrcanus, & diruit templum Sadducæorum & Samaritanorum, quod exſtruxerant in monte Garizim.* Idem ad annum CCCCXLVIII לרשת להם צדוק ובייתס כעזו *Zadok & Baithos* [vnde Sadducæi ſunt] *facti ſunt principes illorum.* Samaritarum intellige, quaſi expulſi Hieroſolymis ad Samaritanos transfugerint. Addi in hanc rem poteſt Kabbala R. Abrahami apud Serarium in Trihæreſ. lib. II cap. XX. In Iudæorum ſententiam Chriſtiani quoque doctores iuerunt. Origenes in Matthæum,

p. 486 [edit. Huetii] τὸ αὐτὸ τοῖς Σαδδυκαίοις δόγμα περὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων ψυχῆς φρονοῦσι μέχρι τοῦ δεῦρο Σαμαρεῖς. Epiphanius quoque Hæresi IX p. 25 de Samaritanis ἠγνόησαν, inquit, νεκρῶν ἀνάστασιν. & Hæresi XIIII de Sadducæis, ἠθέτησαν ὅτι νεκρῶν τινὰ ἀνάστασιν, ὅμοια Σαμαρείταις φρονοῦντες. Falsum autem hoc esse, Hottingerus tam in Disputatione de Resurrect. Mort. p. 12, quam de Theol. Samarit. p. 26 ex ipsorum libro, quem Iosuæ vocant, comprobauit. Diserte enim ibi memoratur يوم النقمة والمكافاة *dies vindictæ & retributionis:* siue vt in epistolis ad polyhistorem Ludolfum profitentur, ‘ⲚⲢⲘ ‘ⲚⲈⲠⲒ ‘ⲠⲀⲈⲘⲚⲈⲠⲀ ‘ⲒⲚⲀⲘ ‘ⲚⲈⲘⲀⲈ *dicimus* [quisque] *Fides mea est* [etiam] *in die vltionis & retributionis.*

IX. Deinde idolum *Asima*, & aliud *columbæ* formam præ se ferens obiecerunt. AbenEsra principio commentarii in librum Estheris הכותים כתבו תחת בראשית ברא אלהים ברא אסימא *Cutheï scribunt pro In principio creauit Elohim, creauit Asima.* De altero Drusius Observ. XIII cap. XXIIII refert glossam Talmudicam huius argumenti: *Samaritanus circumcidit* לשם דמות יונה *in nomine imaginis columbam referentis*, quam inuentam in vertice montis Garizim certo quodam ritu colant. Quamuis vero Scaliger ad Manilii lib. V vers. 381 ex Chronico Samaritano tradat, columbam eos Iosuæ duci administram attribuere, diuinitus, non humanis magisteriis, edoctam; vereor tamen cum Seldeno Synt. II de Diis Syr. cap. III ne quod habent Iudæi de Samaritanorum circumcisione, *Columbæ* nomine peragi solita, æque spurcum sit eorum in gentem illam conuicium, ac illud de *Asima* pro nomine Elohim commentum. Codices enim Samaritani, quotquot conspecti Europæis fuere, habent perinde ac Iudaici ‘ⲘⲈⲘⲀⲤ ‘ⲀⲄⲄⲀ, & in metaphrasi ‘ⲒⲚⲀⲘ ‘ⲈⲘⲀⲤ *creauit Elohim.* Originem figmenti ingeniose diuinauit sæpe laudatus Ludolfus ad Epist. Samar. adnotationibus pag. 22. Cum enim in ipsis epistolis p. 3 & 12 se nomen ⲒⲀⲈⲘ per ⲁⲥⲓⲙⲁ *Schima* dicant pronunciare, quemadmodum Iudæi per אדני *Adonai*: fieri potuit, vt Samaritticam pronunciationem cum אשימא i-

dolo Hamathæorum malitioſe confunderent. Noua criminatio eſt R. Eliæ Germani in Tisbi p. 43 כרוך לי שמעתי שהעם ההולך בע וכל בתרגום ומחזירים הנקרים בלעז בגבי ובלשון לשכנו ליגייבר' *videtur ex illis* [Samaritanis] *eſſe populus vagabundus, quem Italice vocant Cingari, Germanice* Ziegeuner. Nihil ergo conuiciorum eſt, quod Samaritanis non intentent Iudæi.

X. Nec vero ſemper eadem fuit & vnius confeſſionis Samaritanorum religio. Epiphanius Hæreſ. x quatuor illorum genera conſtituit, εἰς τέσσαρας, inquit, αἱρέσεις Σαμαρεῖται ἐτυπώθησαν, Eſſenos, Sebuæos, Gorthenos, & Doſitheos. Priores ſectas parum differre ait: plus diſcriminis obſeruari in Doſitheis. Sed vereor ne *Eſſeni*, Εσσηνοὶ, ſint iidem, qui Iudaicam ſectam, non Samaritanam, conſtituunt, quam Druſius, Scaliger & alii commentationibus ſuis poſt Ioſephum deſcripſerunt. Doſithei a pluribus memorati adpellationem a *Doſitheo* ſiue דוסתאי trahunt, cuius nominis plures apud Chriſtianos & Iudæos ſcriptores inueniuntur. Epiphanius Hæreſ. XIII antiquiorem intelligit, & ipſos Sadducæos vocat ἀπόσπασμα ἀπὸ Θοσιθέου τοῦ λελεγμένου, *propagatos à Doſitheo prædicto* Samaritanæ hæreſeos principe. Hi ſeueriore diſciplina vſi, ἐμψύχων ἀπέχονται, καί τινες αὐτῶν ἐγκρατεύονται ἀπὸ τῶν γάμων μετὰ τὸ βιῶσαι, ἄλλοι δὲ καὶ παρθενεύουσιν, *ab animalibus abſtinent, nonnulli iteratas nuptias fugiunt, quidam virginitatem ſeruant.* His etiam tribuit Epiphanius, quod ἀνάστασιν ὁμολογοῦσι, *reſurrectionem confiteantur.* Tertullianus aduerſus Hæreſ. cap. XLV *Taceo Iudaiſmi hæreticos, Doſitheum inquam Samaritanum, qui primus auſus eſt prophetas, quaſi non in ſpiritu ſancto locutos, repudiare.* Quod dicit, hunc *primum* auſum eſſe prophetas repudiare, videtur omnino antiquum Doſitheum intelligere, quia reiectio propheticorum librorum non noua & recens in hac gente erat. Eadem fere Hieronymus adv. Luciferian. cap. VIII *Doſitheus, Samaritanorum princeps, prophetas repudiauit: Sadducæi ex illius radice naſcentes etiam reſurrectionem carnis negauerunt.*

XI. Eulogius autem patriarcha Alexandrinus apud Photium ſub finem Cod. CCXXX Doſitheum, celebrem Samaritanorum doctorem vocant συναμμάσαντα κατὰ τὰς χρόνους Σίμωνι τῷ μάγῳ, *coæuum*

auum Simoni Mago, qui æqualis fuit apoſtolis. Cum enim dixiſſet, Samaritanos eſſe εἰς ἀνίκειμφὰς μερίδας διαιρεθέντας καὶ στασιάσαντας πρὸς ἀλλήλους, quosdam ait Ioſuam, Nuni filium, pro propheta, quem Moſes Deuteron. XVIII promiſit, agnoſcere: alios Δοσθήν τινα ἢ Δοσίθεον ἀνευρήτιον, *Doſthæ alicui ſiue Doſitheo id elogii dare*, ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἐπωνυμίαν ἔφερον, Δοσθηνοὶ καλούμφοι, *a quo Doſteni ſiue Doſitheani adpellentur*. Hic, inquit, ὑβριστὴς γέγονε τῶν τοῦ Θεοῦ προφητῶν, ὑβριστὴς ἦ μάλιστα τοῦ ἑνὸς τῶν ιβ' πατριαρχῶν, *obſeruator prophetarum fuit, Iudæ maxime, vnius ex* XII *patriarchis*, quæ genuina hæreſis Samaritanorum eſt, vt reiiciant libros, quibus Hieroſolyma commendantur, & Iudam, tribus Iſraeliticæ principem, obtrectent, quo ad Ephraimiticam gentem, quæ tribus Iudæ prærogatiuæ ſunt, vnice poſſint tranſcribere.

XII. Diuerſi ſic fuere inter Samaritanos Doſithei, antiquus alter, in cuius ſententiam Sadducæi dicuntur tranſiiſſe, pariter propheticos libros vel auerſati, vel minoris, quam Moſaicos, facientes; inſuper ex ſuo ingenio mortuorum negantes reſurrectionem: alter recentior & coæuus apoſtolis, qui ciuibus ſuis ſe Chriſtum eſſe perſuadere conatus fuit, teſte Origene lib. II adv. Celſum & in Ioannem p. 219 ed. Rothom. Auctor libri Iuchaſin recte illos diſtinxit pag. 55 דוסתאי בן רבי יונאי הוה תלמיד ר' מאיר *Doſthai, filius R. Iannai, diſcipulus fuit R. Meir*. Sed de antiquiore tradit כי סנחריב שלח לכותיים לשומרון לרבי דוסתאי בר יונאי ללמדם תורה *a Senacheribo miſſum eſſe ad Cuthæos in Samariam, vt Legem illos perdoceret*. Et vt fortius diſtinguat, adponit, לא תחשוב כי הוא ר' דוסתאי זה תלמיד רבי מאיר כי יש אלף שנים ביניהם *ne putes, Doſthai* [quem Sennacherib miſit] *diſcipulum fuiſſe R. Meir. nam ſunt mille anni inter eos.* Obiter adnotamus, magnum Scaligerum in Trihæreſ. Serarii cap XV negare דוסתאי *Doſthai* eundem eſſe, qui Græcis Δοσίθεος dicatur: malumus autem cum Druſio de trib. ſect. cap. V, & Petauio in Epiphanium p. 26 facere, qui idem nomen eſſe cenſuerunt. Deinde illud quoque prætereundum non erat, aliam ſectam Samaritanorum, quam Σεβδαίους, *Sebuæos* Epiphanius vocat, eiusdem antiquitatis eſſe, cuius Doſitheani erant, a סבאי [forſan סבוי] *Sebaia* vel Sebuia auctore denominati, quem Iudæi in libro Ielammedenu pag. 16

vna cum Dosthai in Samariam a Senacheribo remissum esse tradiderunt, quæ sententia Drusio c. l. cap. VI placet, nobisque aptior adparet ad fidem faciendam, quam illa Scaligeri, qua Sebuæos שבועים ἑβδομαδίτας interpretatur, quod omnem δευτέραν τῶν ἑπτὰ τῆς πεντηκοστῆς ἑβδομάδων eadem religione qua ipsum πεντηκοστῆς diem colerent. Vide *Canon. Isag. p. 218.* Vnum addo de Dositheanis, Origenem in Ioannem p. 219 a iuniore Dositheo nominatos putasse: ἀπὸ Σαμαρειῶν, inquit, Δοσιθεός τις ἀναστὰς ἔφασκεν ἑαυτὸν εἶναι τὸν προφητευόμενον χριστὸν, ἀφ' ὃ δεῦρο μέχρι εἰσὶν οἱ Δοσιθεινοί. Facile vero confundi possunt, quamuis ætate differentes, qui sunt eiusdem nominis.

XIII. Quemadmodum ergo Dositheo maiori Sebaiam Iudæi adiungunt; ita cum minore Christiani scriptores Simonem Magum sæpe componunt, de quo Iustinus Martyr Apolog. II p. 69, Σαμαρεῖς, inquit, τὸν πρῶτον θεὸν ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες. Tertulliani verbis de Præscript. adv. Hæret. cap. XLVI interpretamur: *Simon ausus est se summam dicere virtutem, id est summum Deum.* Hieronymus adv. Lucifer. cap. VIII addi potest, vt & Origenes in Matthæum. Verum Christianorum potius hæreticus Simon, quam Samaritarum fuit, quia baptizatus erat & Christianum simulabat, de quo etiam Tertullianus c. l. & Hieronymus in Ezech. XVI, 4 & Augustinus Tract. VI in Ioannem p. 19 possunt consuli.

XIIII. Sed satis de hæresibus, quibus hoc solum adiicimus, quod Richardus Simon c. l. p. 185 obseruat, *il faut bien prendre garde, de ne pas confondre le gros de Samaritains avec une certaine secte, dont le chef se nommoit Dositheus ou Dousis, comme les Arabes l'appellent*, quibus sectam Dositheorum a reliquo & maiore corpore Samaritanorum discernit. Quæ fides eorum fuerit, cum Seruator in terris ageret, ex Iohannis IV capite non ignotum est. Messiam enim muliercula illa exspectabat, procul dubio ex Iosephi posteris oriundum, cui Christus propterea, vt errantem reducat, suauissime respondet, ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστὶν, ex *Iudæis*, non Samaritanis, Messiam venire. Maxima controuersia de adorationis loco erat, de quo mulier quoque contendebat, ὄρος τοῦτο, montem Garizim, quem monstrabat, esse; Iudæi autem Hierosolyma; quod ita acerbis

acerbis odiis disputatum fuit, vt Samaritani Herodis filiorum temporibus clam in templum Iudæorum irrepentes διάῤῥιψιν ἀνθρωπείων ὀστῶν ἐν ταῖς στοαῖς ποιησαμένοις ἱερὸν ἤρξαντο, *humana ossa*, profanationis indubitatum signum, *disperserint per porticus, & per totum etiam templum id cœperint facere*, vt auctor Iosephus est XVIII Antiquit. cap. III.

XV. Omnia ergo monti suo Garizim tribuebant, quem tam in Pentateucho, quam in epistolis ad Europæos adhuc missis coniunctim, quasi vna voce, הרגריזים *Hargarizim* appellant, quod iam olim ita receptum vsu fuisse ex Eupolemo apud Eusebium IX Præpar. Euang. cap. XVII constat, qui æque coniunxit in vnum vocabulum Αργαριζίν. Quamuis autem augustum templum Sanballetis pridem euersum fuerat, non tamen dubitamus, quin sacellum aliquod in hoc monte habuerint, quemadmodum non desunt, qui ante Sanballetem fanum quoddam illi monti imponant, Iosephi verbis extremo libro XI p. 386 inducti, quanquam & inchoatum sub Dario templum, vt Syncellus pag. 256 tradit, intelligi ibidem possit: & Richardus Simon c. l. de hodiernis Samaritis scripsit, *Leur temple, ou plûtost leur chapelle est sur la montagne de Garizim, où ils font leur sacrifices.* Medio æuo deturbatos Samaritanos fuisse, montemque Christianis cessisse in habitationem, pag. 23 prædiximus. Ecclesia tum ibi exstructa & emunita fuit, vt instar castelli præsidio regioni esset. Procopius lib. V de Ædific. cap. VII de Zenone: ἔκ τε ὄρους τοῦ Γαριζὶν τοὺς Σαμαρείτας ἐξαλάσας, Χριστιανοῖς τε αὐτὸ προσέδωσιν, ἐκκλησίαν τε ἄνω δειμάμενος τῇ θεοτόκῳ ἀνέθηκε, *deiectis Samaritanis montem Garizim Christianis addixit, & in vertice eius ecclesiam posuit Deiparæ.* Et eodem cap. de Iustiniano: τὸ μὲν παλαιὸν τῆς ἐν τῷ Γαριζὶν ἐκκλησίας τείχισμα ἑτέρῳ ἔκτοθεν τείχει περιβαλὼν ἄμαχον διεπράξατο πᾶσιν εἶναι, *veterem murum altero cinxit exteriori, fecitque opus omnino inexpugnabile.*

XVI. Quæ hodie sit ratio religionis Samaritanorum, ex epistolis in Europam adhuc missis non potest obscurum esse. Legem Mosaicam, præsertim externo ritu, tenacissime obseruant, & ipsos Iudæos hac in re superasse videri volunt, tanquam הפרושים

𐤉𐤄𐤅𐤃𐤉𐤌 𐤔𐤌𐤓𐤉 𐤕𐤅𐤓𐤄 *obseruatores legis sanctæ, legis nempe Mosaicæ.* Circumcisionem, lotiones, festos dies, sabbatum & ieiunia religiose tenent, pascha cumprimis ita celebrant, vt Iudæos videantur ceremoniis & cura antecellere. Illud autem non mactant, vt Scaligero scripserunt p. 120, *nisi in Sichem, e regione montis Garizim*, cum ceteras purificationes in *omni* se *ciuitate*, vbi habitant, *obseruando custodire* dicant pag. 121. Preces vbique fundunt 𐤐𐤍𐤄 𐤄𐤓𐤑𐤅𐤉 𐤔𐤋𐤌 *facie ad montem Garizim obversa;* solenniores in ipso monte, vbi & festum Tabernaculorum agunt, quemadmodum in litteris ad Scaligerum datis copiose narrauerunt. Maxime gloriantur pontificum successione ex stirpe Araonis per Pinchasum, quibus summam sacrorum curam committunt: sacrificant quoque veteri ritu, & quidem, vt Petrus de Valle Tom. 1 Epist. XIII refert, *omnibus locis*, vbi habitant & occasione non destituuntur: vt vero Richardus Simon p. 174 probabilius censet, *ils ne sacrifient point ailleurs, que sur la montagne Garizim, où ils lisent la loy, & font des prieres à Dieu*, hoc est in solo monte Garizim. De summo Pontifice idem p. 188 tradit: *Leur grand sacrificateur, qui reside à Napolouse, étend sa iurisdiction sur tous les autres Samaritains, ausquels il indique tous les ans par des lettres circulaires la feste de la Pasque, & des autres festes solennelles.*

XVII. De Messia interrogati a Scaligero, p. 125 respondent: *Petiisti de Messia: quod est eius nomen apud nos, nisi* 𐤀𐤎𐤑𐤄 (vt Angli legunt) *Hasceab? & quis hoc intelligit nisi Dominus?* Oedipo opus est ad nominis huius interpretationem. Cogitaui aliquando, an forte ex Imperatiuis compositum sit 𐤑𐤄 *festina*, 𐤀 *da*, quemadmodum Iudæi in Seder Tephillot pag. 7 & 27, cum pro liberatione sua & aduentu Messiæ supplicant, adiicere solent 𐤁𐤉𐤌𐤉𐤍𐤅 𐤁𐤔𐤏𐤄𐤓𐤄, *velociter, in diebus nostris.* Sed lubrica hæc coniectura est, & vel ideo incerta, quod neque de prima littera certissimus sum, 𐤄 illa sit an 𐤀, quia minus illa clare Londinensi editione expressa est. Certiora exspectamus ab ipsis Samaritanis, quos etiam de hoc nomine celeberrimus Ludolfus consuluit.

XVIII. Claudimus hoc de Sacris caput verbis eiusdem Simonis, hominis harum rerum curiosissimi, ex pag. 177 *Pour moy*

je

je croy, qu' on ne peut mieux apprendre aujourd' huy la puretè de la loy des Juifs, que de ces Samaritains de Sichem, qui ſacrifient encore ſelon l' ancienne inſtitution ſur le mont Garizim, comme le P. Morin, & M. Peyreſc l' ont remarqué. Ce ſeroit une choſe curieuſe de voir le lieu où ils ſacrifient, & d' en obſerver la forme, la ſtructure, ſes ordre & ſes proportions, & ſur tout les dimenſions & les meſures, tant de l' autel, que de vaſes, dont ils ſe ſeruent pour ſes ſacrifices. Ce ſeroit auſſi une choſe bien digne de remarque, de voir leur grand ſacrificateur reveſtu de touts les habits ſacerdotaux, ſur tout le jour de Pâque, lorsqu' il eſt aſſiſté de tout ſe miniſtres. Je m' etonne, que cette enuie ne ſoit point venuë en l' eſprit de quelques uns de nos voyageurs. Ita omnino eſt, & multa ex Iudaica antiquitate ab his ipſis Samaritanis diſci & obſeruari poſſunt. Addit, ex illorum forte opinione, R. Beniamin Tudelenſis p. 39, fuiſſe ſæculo XII penes ipſos מזבח שבנו בהר גריזים מהאבנים שהקימו בני ישראל כשעברו הירדן *altare, quod in monte Garizim exſtruxerunt Iſraelitæ ex illis lapidibus, quos Iordanem transgreſſi erexerant.* Hoc narraſſe, non probaſſe, ſufficiat.

CAPVT IV

DE

LITTERATVRA SAMARITARVM.

AB litteris Samaritanorum initium faciendum eſt, vbi multa controuerſia eſt, ſintne primæuæ Ebræorum, an Canaanorum propriæ. Id vero ante omnia prænotandum eſt, non ſemper eadem figura proponi, ſed alia in antiquis nummis, alia in manuſcriptis epiſtolis, alia in Anglis, Gallicis Germanicisque officinis reperitur, vti ex ſequenti ſchemate cognoſci oculis poteſt, quantum manuſcriptæ Sichemitarum litteræ, & in nummis expreſſæ, a typis noſtratium officinarum diſcedant. Sed quocunque modo ducuntur illæ litteræ, ſatis tamen manifeſtum eſt, ab Ebræis Iudaicis, quas Aſſyrias quidam appellant, nimium quantum illas diſcrepare.

Inſcriptio

Inscriptio Epistolæ.



Alia Inscriptio.



In his omnes literæ sunt præter ultimam ן *vel* ן

II. Hoc ſchema ex Epiſtolis Samaritanis ad τὸν πάνυ Ludolfum, deſumtum eſt, cui duos nummos adiecimus, vt diuerſorum temporum figuræ litterariæ cognoſci & diſcerni poſſint. Scaliger Animaduerſ. in Euſeb. p. 102 Samaritanas litteras easdem contendit, fuiſſe & Phœnicias, quas Cadmus ex Oriente in Græciam attulerit: a quo Morinus diſſentit Opuſc. Samarit. p. 77 quod non tanta ſimilitudo ſit inter Ionicas, quas Scaliger ex veteri Viæ Appiæ columna, proponit, & Samaritanas. Eſt vero, quo ſe Scaliger tueri poſſit, varietas ductus litterarii pro temporum diuerſitate, ſiquidem & illa forma, quam Scaliger c. l. exhibet, ſine dubio ex MSS. depromtam, a ceteris, quas nunc tradidimus, non mediocriter, præſertim in litteris quibusdam, differt.

III. Non ergo dubitamns, quin Samaritica ſcriptura ſit antiquiſſima, & in Phœniciæ & Palæſtinæ oris vſu recepta: an vero eadem veterum Ebræorum, hoc eſt quod in vtramque partem diſputatur. Aiunt doctiſſimi viri, Scaliger, Caſaubonus, Druſius, Cappellus, Morinus, Fraſſenius, & horum ſectatores: negant plerique alii, maxime, Buxtorfius, Hottinger, Lightfoot & horum æquales. Illorum argumenta ſunt ex Hieronymi præfatione in libros Regum, & Euſebii Chron. ad annum MMMMDCCXL, ex Talmud Hieroſolymitano Megill. c. 1, ex nummis & Iudæorum ſuffragiis deſumta: contra quos pariter ex Talmud, Rabbinorum ſententiis & aliis argumentis a Buxtorfio pugnatur.

IIII. Hieronymi c. l. verba ſunt: *Certum eſt, Eſram alias litteras reperiſſe, quibus nunc vtimur, cum ad illud tempus iidem Samaritanorum & Ebræorum characteres fuerint.*, Euſebium quidam ſuperadduut in Chron. num. MDL de Eſra tradentem, *adfirmatur diuinas ſcripturas memoriter condidiſſe, & vt Samaritanis non miſceret, litteras Iudaicas commutaſſe.* Ita editum Venetiis MCCCCLXXXIII. Scaliger autem hæc verba prætermiſit. In Talmud Sanhedrin. cap. II R. Ioſe de Eſra ait, על ידו כתבה [התורה] על ידו נשתכחה ולך על פי שלא כתבה הכתב *etſi per ipſum non data eſt lex, tamen per eum mutata ſcriptura:* ibidem Mar Sutra ſiue Mar Vkba dixit בתחלה כתבה תורה לישראל בכתב עברי ולשון הקדש, חזרה ונתנה להם בימי עזרא בכתב אשורי ולשון ארמי, בירור להן לישראל כתב אשורית ולשון הקודש והניחו לתרגומות כתב עבריית

: עברית ולשון קדמית , ותן הדיוטות לחר רב חסדא כותקי *In principio data est lex Israeli scriptura Ebræa,* [id est Samaritana] *& lingua sancta: iterum data est ipsis in diebus Esræ scriptura Assyrica & lingua Aramæa. Elegerunt pro Israelitis scripturam Assyriacam & linguam sanctam: & reliquerunt idiotis scripturam Ebræam & linguam Aramæam. Quinam sunt idiotæ? Raf Chasda dixit, Cuthæi.*

V. Idem ex Talmude disputat R. Ioseph Albo lib. III Ikkarim cap. XVI pag. 79 cuius verba digna sunt, vt adponantur, לחרו רבותינו ז"ל בתוספתא דסנהדרין למה נקרא שמה אשורית שעלה עמהם מאשור רבי לומר נכתב זה בתוכה תורה ליזרע וכולי ולמה נקרא שמה אשורית שחאשור נכתב *Dixerunt Rabbini nostri felicis memoriæ in additamentis ad codicem Sanhedrin: Quare vocatur nomen* [nostræ scripturæ] *Aschurith?* quia ex Assyria allata est. *Rabbi dixit: in hac scriptura lex data est &c. & cur dicitur nomen eius Aschurith? quia felix & blata redditur in scriptura.* Additur ibidem, הכתב שבידינו היום שהספרים נכתבים בו לינו כתב עברי בלי ספק *scriptura hodierna, qua libri nostri scripti sunt, sine dubio non est scriptura Ebræa.* & interiectis, quæ supra partim ex Sanhedrin allegauimus, plenius rem ita enarrat, כיון שעלו בני הגולה בימי עזרא נירדו להם כתב אשורי ולשון הקדש והניחו להדיוטות כתב עברי כלומר לכותיים שהיו דרין :או בארץ ישראל קודם שעלו הם הניחו להם כתב עברי ולשון קדמי *cum reverterunt captiui in diebus Esræ, elegerunt sibi scripturam Assyriacam & linguam sanctam, & reliquerunt idiotis, hoc est Samaritanis, qui antequam illi ex Babylonia redirent, in terra Israelis habitabant, scripturam Ebræam & linguam Aramæam.* Aramæam, inquam, sic enim corrigo ex citato Talmudis loco, quod editum in libro Iosephi Albo est לשון קדש *linguam sanctam.*

VI. Ex nummis quoque Samaritanas litteras referentibus argumentum sumunt, qui quod Hierosolymorum nomen habent, non possunt non cusi esse ante captiuitatem Babyloniam, quippe post illam id nomen abominati sunt Samaritæ. Exempla Waltonus produxit in prolegomenis ad Polyglotta Biblia, & Hottingerus de Cippis Ebraicis, quibus insignem alium ex cimelio Ludolfiano adiicimus, maiorem nempe ex duobus, quorum formam heic expressam tradimus. Antiquum huiusmodi nummum etiam R. Mose Bar Nachman

man in fine Commentarii in Legem commemorat, quem etiam Ioseph Albo c. l. vt idem probaret, recensuit. Verba Ramban hæc sunt: נחתי לעכו ומצאתי שם כיד זקני הזרע מטבע כסף מפתוח פתוחי חותם מגדו האחד כעין מקל שקד ומגדו השני כעין צלוחית, ובשני הצדדים סביב כתב מפתוח נקר היטב והרקו הכתב לכותיים וקרקוהו מיד כי הוא כתב עברי אשר בשאר לכותיים כמו שמוכר במסכת סנהדרין וקרקו מן הצד האחד שקל השקלים ומן הצד השני ירושלים הקדושה: ואומרים כי המורות מקלו של אהרון שקדיה ופרחיה והצורה השנית לבלבת המן: *Acconem veni & inueni ibi apud seniores regionis nummum argenteum, in cuius vna facie virga amygdalæ, in altera vasculum expressum erat: vtrinque circumscriptum erat claris litteris. Ostendimus scripturam Samaritanis, qui e vestigio legebant, quod scriptura Ebræa erat, quæ relicta fuit Samaritanis. Legerunt autem in vna facie* 𐤔𐤊𐤋 𐤔𐤊𐤋𐤉 SICLVS SICLORVM, *ex altera* 𐤉𐤓𐤅𐤔𐤋𐤌 𐤒𐤃𐤔𐤄 IERVSALEM SANCTA, *dicebantque, formam baculum Aharonis, amygdalantem & florentem; & formam alteram vasculum Mannæ repræsentare.*

VII. Qui contrarium sentiunt, & scripturam, quam מרובה *quadratam*, vulgo אשורית Iudæi vocant, antiquam patriarcharum & Mosis fuisse persuasum habent, vrgere inprimis solent locum ex Sanhedrin cap. 11, vbi אשורית non exponitur *Assyriaca*, sed מאושרת *beata*. Vrgent deinde mysteria ex Masora & Talmude Iudaica de ם clauso in medio aut principio vocis, quæ cadunt, si primæuam Samaritanorum formam dixerimus. Constat enim nullas Samaritis finales figuras esse. Vrgent etiam *ἰῶτα*, *minimam Legis litteram*, Matth. V, 18, cum 𐤌, Samaritanum elementum, fere sit maximum; & tandem nummos quoque ostentant quadratis inscriptos litteris. De Hieronymo respondent, forsan a præceptore Iudæo, alteri sententiæ addicto, ita persuasum fuisse, ipsum accurate caussam Samaritanam non examinasse, quod probari volunt, quia in Ezech. IX, 4. Samaritanæ litteræ 𐤕 siue ת *Tau* tribuit crucis figuram. Sed falluntur, qui ita de Hieronymo iudicant. Variam enim olim & quondam persimilem cruci fuisse litteræ *Tau* figuram, ex nummis clarissime ostenditur, in quibus hæ tres formæ

conspi-

conſpiciuntur, quarum duæ ſatis confirmant ſententiam Hieronymi. In Talmude aiunt nihil legitime decerni, ſed tantum diuerſa ſentientium opiniones recenſeri. Nummis ita vrgentur, vt duplicem characterem Iſraelitarum conſtituant, ſacram, quæ ſemper quadrata fuerit; & profanam, communem cum Samaritanis, in qua cauſſa tuenda laborioſus eſt Buxtorfius in Diſſertat. de Litterarum Ebraicarum antiquitate.

VIII. Sic in vtramque partem propoſuimus, quæ de Samaritanis litteris eruditi, Chriſtiani præſertim, cenſeant. Ad Iudæorum conuicia reuertimur. R. Beniamin Tudelenſis p. 39 de Samaritanis ait יש להם שלש עותיות ה' וח' וע' ה' יש מבניהם וישן להם הוד· ח' יש יפחק מבניו וישן להם חסד· ע' יש יעקב מבניו וישן להם עניוה *Tribus his carent litteris* ה, ח & ע: ה *in nomine Abrahami patris noſtri, vnde & deſideratur nomen* הוד gloria; ח *in nomine Iſaaci patris noſtri, vnde etiam deſideratur* חסד benignitas; ע *in nomine Iaacobi patris noſtri, vnde nec* ענוה manſuetudinem *habent.* Turpis & Iudæo digna criminatio, quam vel ipſe conſpectus Samaritanorum codicum confutat, in quibus litteræ ה, ח & ע non minus, quam ceteræ, ſe oculis obiiciunt. Druſius de Tribus Sectis lib. III cap. X putat ex impura Samaritarum pronunciatione cauillum Iudæorum ortum eſſe. *Habent quidem*, inquit, *tres illas litteras, ſed pronunciant per* א; *vnde non habere dicuntur.* Verum eſt, craſſior illorum pronunciatio, quam Iudæorum, narratur, vt Golii & Hottingeri ſuffragio in Horis noſtris Samaritanis pag. 62 probauimus. Quamuis non certo conſtet de genuina illius ratione, maxime quod ſignis, quibus vocales declaramus, deſtituuntur. Cum Richardo ergo Simone c. l. p. 185 optamus, vt Ebraice peritus peregrinator ſatisfaciat capiditati noſtræ, an Samaritani eodem modo legant Pentateuchum, ſicut Iudæi, aut quantum differant a punctis & lectione per Maſoretas firmata. Petrus della Valle cum Orientem peragraret, ſecurior erat: curioſior fero, cum poſt reditum Morini epiſtolis excitatus fuiſſet.

IX. Satis de litteris Samaritarum: de lingua & libris nunc diſpiciendum eſt. Cum pauci ſint eorum libri, fit vt linguam etiam parcius intelligamus, quæ vix aliunde melius cognoſci poteſt, quam

quam ex verſione Pentateuchi Samaritana. Huius dictio ex Ebraica, Aramæa & Arabica ita mixta atque compoſita eſt, vt etiam multas voces habeat Cuthæorum proprias, proculdubio ex barbara regione, primigenia Cuthæorum ſede, in Palæſtinam inuectas. Fidem faciunt Horæ noſtræ Samaritanæ tam in Notis Excerptorum, quam in Gloſſario & Grammatica, præſertim cap. XI p. 109. Scribunt etiam Ebraice, vt in Epiſtolis nuper vulgatis, ſed ita Ebraice, vt idiotiſmos ſuos non penitus obliuiſcantur, cuiusmodi ſunt אחרנא *alius*, *poſtea* pag. 7 pro חורן Chaldaico: נבי *propheta* ſine א, Arabico more: quo etiam ampliſſimus Ludolfus ניא pag. 6 refert, per לא *non* interpretatus in litteris ad nos datis, quod pronius videtur, quam vt interrogatiuum *quid* orationi neganti æquivaleat. Ad idiotiſmum linguæ cum primis etiam permutatio litterarum, maxime gutturalium pertinet, vt in Grammatica noſtra cap. XI pluribus exemplis demonſtratum eſt. Vulgariter vtuntur hodie, vt ceteri Palæſtinenſes, dialecto Arabica, qua etiam conſcriptos libros habent, vt poſtea trademus.

X. Liber apud ipſos ſacroſanctus eſt אורייתא דנא *codex Legis* ſiue Pentateuchus Ebraicus, Samaritanis litteris conſcriptus, qui vero in nonnullis locis diſcedit a codice Iudaico tam in ordine pericoparum (vide Horas noſtras p. 37) quam in vocibus aut litteris. e. g. Gen. IV, 8 additur נפקנא חקלא *eamus in agrum:* cap. XLIX, 10 pro רגלין *pedes eius*, צפרן *vexilla eius*, cuius generis multa collegit Hottingerus in Theſauro Philologico. Hieronymus in Galat. III, 10 ſcribit in Samaritano codice Deuteron. XXVII, 29 inueniri כל *omnis*, vt cum LXX interpretibus conueniat: verum abeſt illud כל ab hodiernis libris tam Samaritice verſis, quam Ebræoſamaritanis. Notabilior cum primis diſcrepantia eſt Deuteron. XXVII, 4, vbi legunt הר גריזים *mons Garizim*, pro eo quod in noſtris codicibus eſt הר עיבל *mons Ebal*, quod Waltono videtur Proleg. p. 79 Sanballetis temporibus factum eſſe, vt templo in hoc monte auctoritas confirmaretur. Vnde eſt, quod in epiſtolis ſuis ad Europæos hoc diuino, vt credunt, oraculo quam maxime glorientur. Buxtorfius in Anticritica p. 539 Ebræi

Pentateuchi codicibus Samaritanis nouitatem obiicit, quod vel antiquissimus ab Europæis tractatus vix ante cccc annos scriptus sit: ipsi vero Sichemitæ in epistolis suis oppido antiquum laudant, ‏·בן·עזי·בן·בקי·בן·אבישע·בן·פנחס·בן·אלעזר·בן·אהרן·הכהן *inde a diebus gratiæ, quem scripserit Abisa filius Pinchasi*, pronepos Aharonis, & quidem ‏·שנת·ארבע·עשרה·לבוא·בני·ישראל·בארץ·כנען· *anno* XIII *ab ingressu Israelitarum in terram Canaan.* Quamlibet vero suspecta hæc antiquitas est, dubitari tamen non licet vetustissimum librum esse, & dignum qui a peregrinantibus inspiciatur & conferatur cum aliis. A quibus in Europam codex Ebræosamaritanus primum illatus fuerit, enarrat Hottingerus Smeg. de Biblioth. Samaritana ita, vt prima gloria Peirescium manere videatur.

XI. Pentateuchi non vnam versionem habent. Nota est illa pure *Samaritana*, in Bibliis Polyglottis exhibita, & in Horis nostris Samaritanis excerpta, de cuius stilo num. XI prædiximus. In Europam aduexit hanc versionem Petrus a Valle, Romanus, a quo Morinus acceptam Polyglottis Parisiensibus primum inseri curauit, quem Angli sua editione secuti sunt. Vide Petri huius & Morini epistolas mutuas XIIII & XV, & Hottingeri Smegma. Habent præterea etiam versionem Pentateuchi *Arabicam*, sed Samaritanis litteris perscriptam, quam Hottingerus in Smegm. de Biblioth. Samar. delineauit. Plures ex sacris & diuinis libros non admittunt. in epistola nuperrima pag. 2. aiunt: ‏אין·אנחנו·קורין·אלא·ספר·אל ‏·תורת·משה·בלבד·אלא·מה·שכתוב·בו *non legimus alium librum nisi Legem, a principio Geneseos ad finem Deuteronomii.* Ceteros repudiant, quemadmodum ibidem addunt, ‏·אין·קורין·אל ‏·ספרי·הנביאים·ספרי·כתובים·של·יהודים *non legimus libros prophetarum Iudaicorum.*

XII. Caussa cur prophetarum libros reiiciant, non potest obscura esse, quia scripti illi post schisma sunt: cur autem æque repudient libros Iosuæ; Iudicum, Samuelis, est quod plurimos in admira-

mirationem traxit. Petr. Dan. Huetius Tom. 1 Demonſtr. Euang. cap. de libro Ioſue p. 273 reſpondet, *Qui Dei legem Iſraelitis traditam tam aperte fuerant aſpernati, haudquaquam mirabile eſt, libros quoque eorum aliquos, vel probatos vulgo & pro ſacris habitos neglexiſſe, ſolo Pentateucho contentos, propter inſignem ſcriptoris dignitatem ac famam, & rerum ab eo traditarum ac geſtarum præſtantiam, ſummamque gentium plurimarum, non Iſraelitarum modo, in eo probando conſenſionem.* Acutius de re hac, quem ſupra laudauimus, P. Allixius ratiocinatur c. l. pag. 14. *Il y a même des raiſons d' Etat, qui ont fait, que les Rois des dix Tribus n' ont pas eu égard au partage de la Terre de Canaan, tel qu' on le voit en Joſué, & à l' autorité du ſacerdoce.* Diuiſione ergo Terræ, per Ioſuam factæ, non contenti Ephraimitæ, videntur illos libros neglexiſſe, quibus illa diuiſio adprobata fuerat.

XIII. Habent quidem Samaritani & magni faciunt librum quendam hiſtoricum, ad Hadriani vſque tempora deductum, quem in epiſtolis p. 2 appellant ספר יהושע בן נון *librum Ioſuæ, filii Nun*, & Iudæi in libro Iuchaſin [*p. 154 a*] ספר זכרוני הכותיים *librum chronicum Cuthæorum:* verum longe diuerſus eſt a noſtro libro Ioſuæ, & ita tantummodo cognominatus, quod principio res Ioſuæ copioſius exponit. Plenior eius titulus apud Hottingerum Smegm. p. 102 eiusmodi eſt كتاب سپر اخبار بني اسرايپل من وقت ان قلد سپدنا موسي ابن عمران النبي علپه السلام يوشع ابن نون خلافه علي قومه *Liber continens hiſtorias filiorum Iſrael, a tempore, quo tradidit dominus noſter Moſes, filius Amram, propheta p. m. Ioſuæ filio Nun, imperium in populum ſuum.* In calce libri adſcriptum eſt السفر المعروف بالسفر يوشع *Liber notus nomine libri Ioſuæ.* Ioſ. Scaliger eum nactus bibliothecæ Leydenſi legauit: Hottingerus epitomen eius dedit ſub calcem Antimorini: & in Enneade Theologiam

AK II, 789

logiam Samaritanam inde oſtendit. Stilus eius, quantum ex excerptis Hottingeri conſtat, totus Arabicus eſt. Habent & ſuas *Litanias* Samaritani, e quibus, præſertim ex Damaſcena, multa Edm. Caſtellus in Lexico polyglotto produxit ad comprobandum Samariticam dialectum, id eſt ex Ebraiſmo & Chaldaiſmo permixtam. Eſt ipſis quoque liber hiſtoricus, Ebræo Rabbinico ſtilo compoſitus, auctore Seduna, Gazenſi patriarcha, de quo Hottingerus in Smegmate poteſt conſuli, qni tantummodo *Relationem* vocat.

XIV. Chronologia & computus Samaritarum a vulgari non ſemel recedit. Samaritanus enim Pentateuchi codex in numero annorum patriarcharum concordat vt plurimum eum LXX interpretibus, alicubi tamen differt & ſingularis eſt. Vide Cl. Spanhemii Introd. in Hiſt. Sacr. p. 6 & Scaligeri Emend. Temp. lib. VII, qui etiam ſpecimen computi Samaritice ſcripti ibidem exhibet & notis illuſtrat. Diſerte etiam de eo ſcripſit Godofredus Vendelinus opiſtola ad Morinum, quæ XLI eſt in Epiſtolis de Samaritanorum rebus in Anglia cooiunctim excuſis. Plura de eodem collegit vir clariſſimus & amicus noſter Guil. Erneſtus Tenzelius, quæ vt ſperamus, propediem in lucem proditura ſunt.

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-5366-p00057-2